


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
10 C
34



SACRORUM CARMINUM

DELECTUS



SACRORUM CARMINUM

DELECTUS IN USUM

GYMNASII PISAURENSIS

curante

JOSEPHO EGNATIO MONTANARIO

POLITIORUM LITTERARUM DOCTORE



VOLUMEN PRIMUM



PISAURI

EX TYPOGRAPHEO NOBILIANO

facta Praesidum facultate

MDCCCXXXIII.

PHILIPPO MONACELLIO

PISAURENSIUM PONTIFICI OPTIMO

JOSEPHUS EGNATIUS MONTANARIUS



Cum saepenumero animadverterem, Praesul amplissime, lege cautum, ut in singulis per annum hebdomadis sexto quoque die studia omnia ad Religionem convertantur, cumque nullum fere librum per adolescentium manus, qui latinae poeseos amore inflammantur, circumferri viderem, qua sibi opportune consulerent, in eam veni cogitationem, ut selectam sacrorum carminum supellectilem undique corrogarem, atque in unum corpus congererem, quo et Religioni, et latinis litteris pro virili inservirem. Sed cum infinitus prope illorum numerus observaretur, qui post renatas litteras sacris musis, Deo bene juvante,

sunt cum dignitate ac laude operati, cumque omnia colligère, digerere, praeloque rursus subjicere perarduum mihi, nec satis opportunum videretur, id coepi consilii, ut Italis tantummodo Poetis locum darem, et quidem elegantioribus, queis nil veritus sum Ragusinos adnumerare, quippe qui eadem, ac nos, lingua loquuntur, iisdemque utuntur litteris, ita ut hoc omne studiorum genus nobiscum commune habeant non solum, verum etiam caeteris fere omnibus styli elegantia, atque candore mirifice praecellant. Non equidem dubito, fore plerosque, qui consilium improbent meum, cum videant, Rapini praesertim, et Buchanani nomina desiderari: sed apage, Praesul amplissime: jure ne, an injuria id ego praestiterim, tuum omnino judicium esto. Nunquam mihi profecto in mentem venit alienigenos poetas aspernari: mihi enim semper religio fuit, eritque, dum vivam, maximi facere, quae doctorum hominum consensione commendata, litterariam rempublicam in sui administrationem non interrupta multorum annorum serie pellexere. Cum vero novum sacrorum carminum fasciculum, nomini inscriptum tuo, Italae juventuti obtruderem, nostrates dum-

taxat, non externas opes illi ob oculos ponere, mihi propositum fuit, ut veram classicorum scriptorum recte imitandi rationem in iis, tamquam in speculo, unice introspiceret, quam neque facilem neque tutam transalpinos, transmarinosque vates suppeditare, cordatus nemo inficias ibit. Praeteream, quod libere fatendum est, non omnibus unde undique datum (perpaucos si excipias italos carminum conditores) ore rotundo posse latine loqui, ita ut verissime adfirmes, apud exteras gentes dum fere omnes latinis scriptitant verbis, vix unum aut alterum inveniri, qui, subacto ad veterum latinorum lucernam sermone, suis ab scriptis commendetur. Nos, nos, inquam, itali homines, quibus a romanis genus, nos latine loqui, latine eloqui facillime possumus; ut nullum quasi nos inter, patresque nostros discrimen intercedat. Et revera, ut quamplurimos missos faciam, nonne Bembi, Naugerii, Vidai Castilionei, Zanchii, Amalthei, qui saeculo XVI *floruere; recentioribus vero temporibus Averanii, Zampierii, Zanottii, Vulpii, Cunichii, Zamagnae, Fagnolii, aliique sexcenti ita scripserunt, ut Italiam hanc nostram, parentem atque*

altricem artium optimarum, ad aureae aetatis splendorem, barbarie propulsata, repente revocaverint?

Sed haec cuique emunctae naris per se satis obvia. Quaerent ex me fortasse alii, quonam consilio ad id libelli adornandum adductus fuerim: quid enim opis, bonaeque frugis ab recentiorum poetarum studio in optimas litteras dimanet, non satis vident; cum praesto sint omnibus luculentissimi scriptores qui Augusti aevo non interituram nominis celebritatem sibi compararunt. Anne hi exilio plectendi; illi vero in scenam dumtaxat ducendi? Anne, hisce posthabitis, illi tantum studiosius consectandi? Quibus ego: quidquid hoc est voluminis, multa me cura multoque labore concinnasse, ut Auditores nostri, studiosique omnes ediscant, quonam modo imitandi sint latini scriptores; qua ratione transferri ad nos cum dignitate possint antiquorum formulae; quo denique pacto, vestimentis, ut ita dicam, ex veteribus mutuatis, res nostrae queant et ipse vestiri atque exornari. Imitationem porro ad venustatem assequendam, et ad ornamenta, luminaque omnia latini eloquii attingenda apprime natam quis neget?

Quapropter cum tota pene hebdomade adolescentes nostri latina exemplaria diurna, nocturnaque manu versaverint, sexta die optimos legant imitatores, rationesque ducant, quomodo tantum laudis, leporis, et concinnitatis sint imitando indepti. Caveant igitur morosiores quidam, omnia qui naso suspendunt adunco, nos, consiliumque nostrum acrius reprehendere; sciantque ingenue et nos confiteri, nihil aut parum saltem, commodi sibi paraturos, qui hisce solummodo nostrorum hominum carminibus studeant, neque ad magnum sibi profectum viam inde consterni, nisi antea manum Terentio, Virgilio, Flacco, Catullo, caeterisque melioris notae admoveant, atque ad illorum exemplum sese totos componere adnitantur. Nos autem ut facilior ad illos aditus pateat, hosce, ut ductores, praeponimus.

Nec deerunt fortassis, qui oleum me operamque perdidisse autument, pleno ore dictitantes, quae indocti, otiosique nedum in Thermopolio, sed per trivios etiam et angiportos mussitare gestiunt, latinam scilicet linguam mortuam esse, nihilque ab illa utilitatis in mansuetiorum musarum studia proficisci: sibi tan-

tum habeant illi, queis cum mortuis saepe colloqui in deliciis est: nobis italicam linguam in primis recolendum, quodque ad latinos spectat, satis nobis, superque esse, si doctore praeeunte, romanas musas primo vix ab limine in scholis salutaverimus. Interea dum nobilissimae linguae putidius obloquuntur: quam veritas ipsa et modestia patiantur, difficillimam sibi litterariae facultatis possessione facili negotio vindicasse arbitrantur, cum lexico ter quaterve oscitanter evoluto, obsoletiores, si Diis placet, voculas in rem suam deduxerint, non verba sententiis, sed sententias verbis miserrime accomodantes. Verum enim vero conviciis parcendum: cur enim aegre assentiar, ut homunciones istiusmodi despectui impure habeant, quod turpissime ignorant? Illud potius non praetermittam, italicam linguam ex latina coaluisse, scriptoresque nostros praestantiores munditiem, veneresque sermonis ab illa tamquam a purissimo fonte, sibi congessisse. Consulatur historia, primoque statim obtutu liquebit, italicas litteras, graecis, latinisque oblanguentibus, illico concidisse; tunc vero pristinae dignitati restitutas, cum hae iterum saeculo XV in vi-

tam revocari visae sunt. At pluribus hac de re, Praesul amplissime, te morari, hominis esset otio intemperanter abutentis. Addam tantum quod silentio praeterire nefas duxerim, me doctorum sane virorum auctoritate, hortatuque manum huic operi admovisse, cui adornando perficiendoque symbolam certatim contulerunt, quos inter honoris et amicitiae caussa nominabo Caesarem illum Montaltium Caesenatem optimum latinitatis aestimatorem, scriptorem aetatis nostrae praestantissimum: cujus carmina velim ii legant qui latinas litteras aspernantur: fiet enim ut his perlectis consilium facile immutent: et Karolum Emmanuelem Muzzarellum virum clarissimum deque musis sane meritissimum, qui non consilii tantum mihi adfuerunt, sed et versus nonnullos, ita vivam, pulcherrimos, perrarosque manu conscriptos misere, qua nimirum humanitatis significatione neque dubia, neque subobscura testati sunt, quantum me diligerent, quantumque communia studia foverent. Quare nobilissimis, doctissimisque viris ab omnibus latinae poeseos cultoribus maximas esse gratias referendas, nemo non videt: cum enim illi lectissimorum poetarum

copiam penes se habeant, plurima mihi libentissime communicaverunt nostris ut incoeptis non infelix omnino exitus facilius responderet. Quod equidem confido fore, ut adolescentibus nostris bene vertat; mores siquidem ad honestatem pietatemque effingere ac confirmare; Religionem vero colere, ac venerari operae pretium esse, ingenue sancteque profiteor. Duplex igitur libelli dos erit quam ut aequi bonique consulant, lectores rogatos volo.

Superest, Praesul amplissime, ut, quae tua est benignitas, laborem hunc qualemcumque meum in fidem et clientelam tuam sic recipias, ut, Te studiorum omnium Pontificis Maximi providentia apud nos moderatore sapientissimo, ex horum carminum lectione juventuti mihi concreditae major in dies fiat litterarii profectus, solidaeque pietatis accessio. Vale

BUCOLICORUM

LIBER

PETRI BEMBI

BENACUS.

Te Giberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes.
Sit modo non impar tanto sub pondere, quae me
Musa vocat, nec eam ventura redarguat aetas
Obscurae carmen claro tibi condere famae;
Et magnum brevibus voluisse intexere cartis.
Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atque Dei laetis implevit vocibus aures,
Advenisse diem, quo formosissima terrae
Ausoniae Verona sacris templisque regendis
Demissum coelo et magnis virtutibus auctum
Acciperet juvenem, qualem vix ipsa petebat;
Forte pater gelido in luco silvaque virenti
Fontibus et rivis cubito subnixus et urnae
Jura dabat, cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemque parabant
Caeruleam, innumerae nodis ac retibus aureis
Collectos comptae crines tempusque decorum,
Incinctaeque auro, surasque sinusque fluentes
Vestibulo in thalami natae, niveosque lacertos
Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyrae digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque, Saloque
Reddebant: sol aestivos circumvagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo avidis allata Deus postquam auribus hausit,
Promissosque olim fatis sibi laetus honores
Agnovit; tangens haerentem uligine barbam
Demulcensque manu jussit vicina vocari
Flumina: dein sese placidum convexa sub alta

Speluncae senior solitaque in sede recepit.
Postera jam coelo stellas noctemque fugarat,
Urebatque dies multo terrasque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in undis;
Piscosusque altas involvens Lambrus arenas:
Venit et indigenis foecundans Ollius arua
Deductus rivis; et cultos Abdua campos
Amne secans, fulvo ripasque interlitus auro:
Nec rapidus fluvioque Athesis spectandus amoeno
Defuit; aut Patavi circumque intraque pererrans
Moenia Meduacus triplici circundata muro:
Moenia, quae positor pugnas et bella perosus
Musarum Iliacus studiis Phoeboque sacravit:
Populiferve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alveo
Ubera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seque mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atque alios velatus harundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obvius, atque in tecta parentis saxea duxit
Laetifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simulac udos posuere sedilibus artus
Crystallo rigida fultis et Iäspide glauca;
Continuo Nymphae mensas ante ora Deorum
Speluncae in medio niveis mantilibus alte
Consternunt, dapibusque onerant, Dicteaque plena
Vina ferunt referuntque manu, calicesque madentes
Praecingunt myrto atque implexis flore coronis
Purpureoque rosae Medorumque arboris albo;
Medorum quondam; sed quae nunc plurima laetas
Benaci vestit ripas; non illa caduca
Fronde virens, suavique auras permulcet odore.
Post ubi prima quies epulis; Deus ipse magister
Undosique lacus domitor praesentia, circum
Numina respiciens his vocibus ora resolvit.
Quod votis toties nequicquam optavimus unum
Vobiscum divi, fausto modo sidere luces,
Volventes luces, fatorum orbisque ministrae,
Advexere; vehit pleno bona copia cornu,
Largaque pomifera praetendit munera dextra.
Quare vos primo longaevi a semine mundi

In mare coeruleum prono labentia cursu
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Flos etenim juvenum, longa formidine saecla
Perdita qui solvat; quique adglomerata malorum
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,
Bactra ultra Thylenque ultra Scythiamque releget;
Quique urbes, quique arva colat, Jove missus ab ipso est.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Hic primum miseris viduatas civibus urbes
Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros
Replebit numerum exaequans augensque priorem:
Oppidaque ingenti multum quassata ruina,
Prostratisque solo late moerentia tectis,
Restituet; pulchroque dabit splendescere vultu.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Magno namque pii juvenis devinctus amore
Hethruscus pater; excelsas qui Tibridis arces
Possidet, et nutu Romanum temperat orbem;
Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenii monumenta, et sancti pectoris artes
Suspiciens, obitosque invicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Quid memorem ut tener et primae sub flore juventae
Ingentem ad ludum properaverit auspicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis;
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos.
Sic undas rerum excipiens, et plena pericli
Multa diu, casus victor superaverit omnes.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Saepe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem; luctantis equi cum frangeret armos,
Praecipitansque viam obstrueret torrentibus imber:
Poeninas vel per fauces tractusque volantem
Aerios summo miseratae e vertice Nymphae
Optavere graves cohiberent nubila nimbos.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Saepe illi ad magnos reges mandata ferenti
Astitit unigena proles Jovis, ut bona mater,
Ut mater bona; quae caro timet omnia nato,

Et cupit in duros comitem sese addere casus:
Tum pueri mirata oculos et verba loquentis
Ipse meas artes jam nunc tibi dixit habeto.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluviorum nemorumque ferax, pecudumque virumque
Gallia, non auri, pictae non indiga vestis:
Diversosque jugo ad ventos interque cadentem
Surgentemque diem longo protenta Pyrene;
Altis quae geminas despectat cornibus undas:
Tum dictis factisque potens illa inclyta bello
Lataque et in latas Hispania dissita terras.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Hae nam te insolita orantem, aversasque suorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant;
Acceptos conversa sonos cum vocis imago
Redderet, et dociles iterarent nomina ripae.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Testis et Hadriacus, parvo qui flumine Rhenus
Lambit humum, testis Thuscis haud maximus undis,
Major prole virum, et divinos Arnus honores
Promeritus, coelum Divisque recentibus augens;
Pulchros qui colles pulchramque intersecat urbem:
Gens quorum imperio dispar nec legibus aequa
Illius in studiis jamdudum et amore quiescit.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni
Jam non curarum, non commemorare laborum
Una potes? tolle egregium per saecula nomen,
Tolle decus; daque alta virum volitare per ora.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Quantum Trinacriae vertex se sustulit Aetnae,
Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens;
Tantum clara virum Romae se nomina tollunt.
Illa novos tibi coelestum concessit honores
Antiquis cumulans: at tu praesentia saecla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Ecce tibi laeto vestit se gramine tellus,
Et tibi silva comas nutrit; tibi pabula surgunt;
Foecundus mites implet tibi pampinus uvas;

Palladis et nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahas, vel arundine longa,
Flexivagus nostris crescit tibi piscis in undis.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
  Accipe, quae tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam, (tas.
Et plectrum, et cytharam, scriptasque ab Apolline char-
Aeternum quas ediscant celebrentque minores.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
  Ut Phoebo, utque Jovi confectis Graecia lustris
Sacra olim et pleno posuit certamina campo;
Sacra tibi, ludosque tibi sic Itala tellus
Instituet; sic illa tuo de nomine dicet.
Volvite majores vaga flumina, vólvite lymphas.
  Accipe, quae calathis porgunt tibi munera Nymphae,
Luteolum calthae florem, casiamque virentem,
Liliaque violasque et purpureos hyacinthos;
Haud porxisse prius poterant: bella impia bella
Pertulimus, dulces et deformavimus agros.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
  Ut cum letiferos accendit Sirius ignes,
Rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas:
Pallet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens foetus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustae:
Arva colit nemo siccis arentia glebis,
Vomeris et durum non admittentia dentem,
Cuncta jacent nimio caeli contusa calore
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
  At postquam laetos effudit Juppiter imbres:
Rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas
Ipsa viret tellus, ripae collesque nitescunt:
Dant segetem sulci, nemus altas sufficit umbras;
Poma suos curvant crescentia pondere ramos!
Ruris turba Deam venerata ligonibus udam
Vertit humum, et putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent caeli foecundis roribus aucta:
Nostras sic jocunda manent nunc omnia terras.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.

At vos in septem discreti culmina montes:
Inque Pater Tyberine, tuum qui flumen Olympo
Devehis; hanc olim vobis multosque per annos
Sit satis o tenuisse, meam mihi jam date partem:
Ipse dabo multis, ne sinent mea gaudia sola:
Et tandem nostris juvenem concedite terris.

HIERONYMI FRACASTORII

AD JULIUM III. PONT. MAXIMUM.

IDYLION

Maxime Divini Pastor Gregis, inclyte Juli,
In terris cui summa uni est concessa potestas,
Sceptra vicesque Dei gerere, et regna infera Ditis,
Caelorumque fores aperire, et claudere posse:
Si tu, dum magnae Italiae, dum prospicis omni
Europae, et vasta Mundi sub mole laboras,
Paullisper potes a tantis secedere curis,
Et potes agrestes pastorum audire Camoenas, (Pan,
Nunc aures adhibe placidas mihi: Namq; ego, quae
Pan magnus cecinit nostros ventura sub annos,
Nunc referam, tua, Magne Pater, pars maxima quorum est,
Cujus ab auspiciis Parcae nova secula volvunt.
Nec te poeniteat pastorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formosus Apollo
Pavit ad Amphrysi ripas, tenuique cicuta
Non puduit cantare Deum sub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
Scilicet et tu etiam post grandia nomina Pastor
Diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,
Et pecudes curare soles, pecudumque magistros.
Forte ego, dum medio terras sol excoquit aestu,
Ipse Suessani pastor puer incola campi
Ducebam pastas viridi de valle capellas
In nemorum secreta, umbras et frigora quaerens,
Qua placidus cursu descendit in aequora Lyris.



Est lucus, prisci quem sacravere latini
Silvano: in cujus medio densa ilice cinctum
Est pratum, agrestes ubi Dii persaepe videri
Audirique solent: hic capripedes Satyriscos
Pastorumque manum junctis per mutua palmis
In gyrum canere, et laetas agitare choreas
Invenio admirans. Medius Pan magnus ovantem
Ad calamos, cantusque regit ducitque coronam.
Dumque Deus canit ipse, silet tum cetera pubes.
Dum silet ille, alii thiasos, cantusque, sequentes
Instaurant, repetuntque Dei postrema canentis.
Ingeminat postrema nemus, respondet et Echo.
Tum me respiciens, mihi sanguine proximus Anthus,
Anthus, Aquinatis pastor gregis, huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neore, et te his adjunge choreis:
Aut, spectare magis si te juvat, aggere ab illo
Prospice, dum saturae sua ducant otia caprae.
Cui ego: Quin potius juvet hoc de cespite vestros
Spectantem lusus, molli requiescere in herba.
Et tum forte Deus buccas sandyce rubentes
Inflans, et picea frontem praecinctus acuta,
Ad calamos circumsiliens, haec carmina cantu
Fatidico insanus latas fundebat ad auras:
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur secula mundo.
Excipiunt juvenes, iterat nemus, assonat Echo:
Aurea felici nascuntur secula mundo.
Tum sequitur Deus ante tamen Rex magnus Olympi
Bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, et faucibus Orci
Immittet terris, genus ut mortale coercens
Castiget, fraudesque hominum, fastusque superbos,
Et luxus, et spes miseras, et gaudia vana:
Dum tandem se se, atque Deos cognoscere discant.
Mox tantum exspectatum illud, quod carmine sacro
Tot Vates cecinere pii, felicibus astris
Adveniet tempus, quo mons ille arduus, ille
Mons ingens, sublime caput super omnia tollat
Culmina, sidereum qui vertice tangat Olympum:
Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;

Aurea felici nascuntur secula mundo.
Hoc in Monte Dei pecudes pascentur et agni,
Graminis aeterni pingues, et velleris aurei.
Exsilient et aquae vivae, quibus ubera caprae
Grandia distendant, distendant ubera vaccae.
Non malus hic serpens, non noxia creverit herba,
Non sentes, sterilisve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta seges, sed bis gravis uva racemis.
Corticibusque cavae sudabunt balsama pinus.
Hinc magnis praestantem animis, et fortibus ausis
Fortunata nimis pastorem haec secula habebunt,
Qui virtute regat populos, et legibus aequi,
Divinas qui pascat oves et pascua late
Extendat, pecudesque ipsas, et ovilia servet.
Hic primum diram Alecto, et Cocytia monstra
Caucasea aerata religabit rupe catena.
Inde famem miseram e Latio populisque Deorum
Pellet in hostiles gentes, et barbara regna.
Tum laeta ubertas, segetumque onerata maniplis
Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras;
Quam circum pueri salient, et rustica pubes,
Ridentesque jocos, incomtaque carmina dicent.
At noti Musis Damones et Alphesiboei
Vota Patri magno, laudesque et sacra canentes
Aeternis illum numeris ad sidera tollent,
Heroemque, Deumque, salutiferumque vocabunt.
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur secula mundo
Ille animum mox ad pacem, et discordia regum
Pectora convertet, sanctisque hortatibus iras,
Atque odia, et caecos regnorum et laudis amores,
Horrendamque sitim caedis, fusique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala semina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivae,
Atque Amor, et junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, et generis Hymenaeus amator
Invisent late populos, Latiique per arva
Laetitiam, risusque ferent: tum justa cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hostes.
Jam video augustis late plena aequora velis
Fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nili,
Euphratemque, Tygrimque suo se condere in amne

Jam nec Bactra ipsum capiunt, non India tota
Maumethem fugientem, ipsum non Caucasus ingens,
Non qui tot silvas, juga tot comprendit Imavus.
Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur secula mundo.
Quaenam, quae properant tantae per caerula puppes
Devotae ad Tiberim, magnaeque ad moenia Romae,
Ceu densae ad nidos latum per inane columbae?
Agnosco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quae caelo olim, divisque fruantur.
En jam sanctam urbem, jam septem in collibus aras
Impositas, summique pedes Pastoris adorant.
Hos inter, video, et nostri longa aequora sulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades. O soli quondam cantare periti
Pastores, quos Justitia e tellure recedens
Postremos liquit, nunc rursus laeta revisit.
O sancti, properate; vocat Deus aethere ab alto:
Vos alius jam grex, aliudque expectat ovile.
Quin venit illa dies, quum nos quoque Maenala nostra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulsi
Fugimus in Latium, longo post tempore tandem
Visamus, dulcemque auram. O placidissime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycaei,
Quando ego per vestros meditabor carmina lucos?
Maenalios quando recinet mea tibia versus?
Maenalus auritas, dantesque oracula quercus
Semper habet, semper doctas ille audit avenas.
Concipe Maenalios, mea tibia, concipe versus.
Talia cantabat memorans Pan magnus: at Anthus
Haec referes, puer, inquit, et hoc tibi munus habeto
Nunc parvum: ventura dies majora reservat.
Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus,
Dicere et occasus astrorum, dicere et ortus,
Et quid quaeque ferat tellus, quae commoda Baccho,
Quae Cereri, quidnam ventos, quid nunciet imbres,
Quae tempestatum, caeli quae signa sereni:
Denique quae cunctis natura sit indita rebus.
Virtutem in primis et honestum, quemque docere;
Ac vitii ipse expers, aliena notare paratus.
Et jam tempus erat pastum deducere capras.

NIC. PARTHENII GIANNETTASII S. I.

PARTHENIS ECLOGA I.

ARGUMENTUM.

Jolas piscator Virginem, *humani generis delicias, unice adamabat; qua cum dulce quaeritur, quod se ex oculis subtraxerit. Per* Parthenidem, Virginem, *per Jolam, religiosum virum intellige.*

Parthenidem puer ardebat piscator Jolas,
Delicias divum, atque hominum, quam saepe solebat
Ad (1) Mergillinae vitreos invisere fontes,
Sacrum ubi Parthenidis stat curvo in littore templum.
Hic cum jam Zephyri ponebant murmura, et altum
Purpureus rediens pulsabat Vesper Olympum,
Haec dulces inter lacrimas incondita solus
Fluctibus, et duris jactabat carmina saxis.
Jol. Quid tantum refugis, bona Virgo? quid et mihi tantum
Divinum avertis vultum, renuisque videri?
Ah miser, ah nostros contemnis Parthenis ignes?
Praetulerimne aliquam tibi forsan, Dia, vereris?
At mihi vos, Superi, testes, si corde caducum,
Aut unquam mortale aliquid meditatus; et ipsi
Sint mihi vel scopuli testes, sint litora, et undae.
Dicite vos, scopuli, vos litora dicite, et undae
(Si sensus scopuli, si litora habetis, et undae)
Parthenidem si semper ego piscator amavi:
Nam voces vos saepe meas audire soletis,
Atque repercussas mea reddere verba per auras.

(1) Amaenissima ad Pausilypum Villa in extremo orae Olympiae *Mergoglino*, olim Actii Syncerii, ubi celeberrimum ejus sepulchrum in templo ab ipso Virgini, et Divo Nazario dedicato.

Ah nostro quoties offensae murmure cautes
Parthenidem sonuere, meos jam carmine amores
Edoctae rupes resonare, et concava saxa.
Et vos, quae nostro frondetis litore quercus,
Dicite (nam sensus, et habetis numina quercus)
Haec vestro quoties incidi carmina trunco:
Te, Virgo, piscator, amat, et amabit Jolas:
Et veluti hae quercus, crescent sic semper amores.
An me tu forsan, Virgo, aspernaris amantem
Quod pauper piscator? erat piscator et ipse
Nonne puer, formosa, tuus, quem saepe beato
Amplexum gremio tenuisti, et dulcia saepe
Atque optata sacris libasti basia labris?
Ille nec erubuit calamos, non retia, et hamos,
Nec parvam sociis agitare per aequora cymbam,
Cum Deus ipse, maris regnator, et aetheris alti,
Qui nutu terras, nutu qui sidera torquet.
Fortis amor; nostrum quis vincere possit amorem?
Ille Deum in terras, vel ab aethere traxit amantem;
Atque malis hominum pariter consuescere jussit,
Et tu, Diva, meos nunc aspernaberis ignes?
An mihi dura, quia agresti munuscula cultu
Nulla tibi misi? misi tamen ipse rubentes
Bissenas de more rosas tibi, Dia, quotannis,
Et meminisse potes; namque hoc cum carmine misi
Virgo, noster amor, tuus haec tibi mittit Jolas.
Quin etiam variis memini misisse corollam
Floribus intextam, et calathis quoque lilia plenis:
Candida (novi equidem) quia sunt tibi lilia cordi.
Sunt et plura mihi in testis; cras illa videbis
Ante aras, Regina, tuas emittere odorem.
Praeterea, dura quae vix de caute revelli
Nuper oliviferae piscosa ad saxa (1) Minervae.
Bina mihi curvos variata corallia ramos;
Bis petiit Nisea soror, bis et mihi furtim
Sublegere aggressa est; arca sed condita servo.
Illa tibi multo cum carmine mittet Jolas,
Natalem cum, Virgo, tuum lux annua reddet.

(1) Campaniae promontorium, *Capo di Massa*, *o la Campanella.*

Sed piscatoris parva haec an munera spernis,
O Divum Regina? tibi sed munera digna
Qui ferat? ipse suis vix dignum texit amictum
Sol radiis; vix Luna pedes tibi lambere digna est.
At, quia dulce sibi cor amantes mittier optant,
Cor tibi, quod tantum restabat, misimus ultro.
Quidquid id est, certe Deus ipse hoc munere majus
Nec sperare potest, nec reddere possumus ipsi.
At tibi quod totum, Virgo, jam misimus illud,
Scis equidem, certisque potes cognoscere signis.
Mane ego te primo, te vespere, Diva, saluto,
Saepius atque die in medio tibi carmina dico;
Atque tuum quoties audire, et reddere nomen
Contingit, tunc ore fero prona oscula terrae
Cernuus, et coeli venerabile pignus adoro.
Nil tamen haec prosunt, dulcem si cernere vultum
Dura negas, tantumque meos contemnis amores.
At mihi te propria vetitum si cernere forma,
Appicta in tabulis saltem simulacra videbo.
Sic aliqua et nostro dabitur medicina dolori:
Est sua conspectu vel inani blanda voluptas.
Ah timeo (de te quoniam mihi credere tantum
Non equidem, bona Virgo, licet) ne pectore nostro
Quid lateat, quod, Diva, tuos offendat ocellos.
Dic mihi quis lateat malus anguis? ut et citus illum
Conteram, et optato dignus jam reddar amore.
Sed tempus rutilis percurrere litora flammis;
Nostra sed occultae depascent pectora flammae.

GENETHLIACA ECLOGA II.

ARGUMENTUM.

Zephyraeus, et Artemidorus cum ad Virginis *Templum, quod in extrema Olympia ad Pausilypi radices juxta cryptam, qua via Puteolos ducit, extructum est, natali die ad pompam celebrandam, ut moris est, convenissent, illius genethliacum texunt.*

ZEPHYRÆUS, ARTEMIDORUS.

Virginis Augustae ad templum sub monte repostum
(Namque dies natalis erat) convenerat omnis
Pausilypi, Megaraeque manus: Zephyraeus aprico
Pausilypo, Megara descenderat Artemidorus:
Nare periti ambo, et durare in fluctibus ambo,
Velocique vagum delphina lacessere cursu;
Et versus cantare, et acuta ludere canna.
Tum prior haec patula vitis Zephyraeus ab umbra.
Zep. Natalem, Virgo alma, tuum lux aurea vexit,
Lux semper mundo, et mihi laeta, age, Delie currus
Siste rotas properantis; aquas ne tangere tantum
Festina; pede lento ut eas, similisque moranti,
Virgo jubet, laudes celebrandae Virginis hujus.
O utinam si anno flueret mihi longior haec lux.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus,
O piscatores, date flores, spargite muscum,
Sacraque caeruleis altaria cingite vittis.
Et vos, o pueri, atque intacto flore puellae
(Vos amat haec Virgo) calathis nunc lilia plenis,
Pubentesque nascenti subtexite serta Puellae.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus,
Candida gemma velut concrescit matris in alvo,
Et nitida aetherias coeli se prodit in auras:

Sic matris concepta utero mundissima Virgo
Candidior nive, purpureisque nitentior ipsis
Erumpit gemmis; mirantur sidera, et omnes
Coelicolae, et roseis delibant oscula labris.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus.
O Virgo formosa, Deo gratissima Virgo,
Jam tibi nascenti se per tua tempora flectunt
In gyrum stellae, et radianti luce coronant:
Jam tibi luna vagos submittit frontis honores;
Atque suis nitidum radiis subtexit amictum
Purpureus Titan, circumque nitoribus ambit.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus,
Tu magni Regina maris, tu sidus amicum
Nautis semper eris, laetum et piscantibus omen.
Se tibi submittent, ventique, atraeque procellae,
Et se se prono curvabunt vertice fluctus.
Teque homines, Divique colent, dominamque vocabunt
Ac tibi dona ferent haec ad delubra quotannis.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus.
Haec Zephyraeus: opacae innixus protinus ulmo,
Dicite, Nereides, quae luserit Artemidorus.
Nec possum meminisse, canentem audire negabat
Turba virum stipata: nec omnia possumus omnes.
Art. Omnia laetantur, tellus, mare, sidera, coelum,
Et Superi, atque homines: quid mirum? nascitur orbi
Aurea nunc Virgo; ut cum matutina resurgit
Aurora, et gremio solem paritura rubescit.
Divinum et Solem nostra haec paritura Puella est,
Atque optata dabit felici gaudia mundo.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Cernite, ut alma dies innubi effulsit olympo,
Et roseos Phoebi currus, aurumque revexit:
Cernite, pacatis ut rideat aequor in undis,
Et Zephyri levis aura, et saxa virentia musco.
Omnia nunc rident, gratantur et omnia Divae
Nascenti: Superique ipsi ad cunabula ludunt.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Non posthac rauco Triton per caerula cornu
Horrendos pelago nimbos instare monebit;

Nec frontem Sol ipse sua ferrugine tinget.
Nascitur en Virgo: placantur Virginis ortu
Et venti, nimbique, impacataeque procellae:
At sua jam mites deponunt murmura fluctus.
  Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
O summo dignata Deo, dum despicit omnes,
Te te unam Pater elegit, divina Puella,
Incipe jam totum risu componere mundum,
Tullerem, freta lata maris, camposque liquentes,
Incipe, laetae adeunt tua jam cunabula gentes,
Annua natalis recolunt dum gaudia lucis.
  Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Ire juvat, vitreique maris perquirere fundum;
Vertere Tritonum latebras, et quidquid in alto
Doris avara sinu late abdit, sive rubentes
Murice sint conchae, aut pictis interlita punctis
Ostrea, seu curvo ramosa corallia trunco,
Sublegere; illa feram nascenti dona Puellae.
  Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Haec illi: et memini venisse ad litora pisces,
Et rigidas caput erexisse e fluctibus orcas.

BARTHOLOMÆI BOSCOVICHII.

ECLOGA I.

REGES.

Ad patrias sedes, unde aliquando abfuerat, reversus Lycidas quum exultantia insueto adparatu Pastorum mapalia offendisset, de Regum ad Infantis Dei cunas adventu a Tytiro edocetur.

LYCIDAS, TYTIRUS.

Lyc. Tytire quandoquidem patriis divisus ab oris
Externos agitare greges, et littora jussus
Visere, qua fluctu procul alluit unda marino,
Nunc redeo, quid nostra novo mazalia cultu
Laeta nitent, festosque agitant vacua arva tumultus?
Tyt. O Lycida, infelix Lycida, quae tam invida longum
Suasit iter fortuna, aliasque abstraxit in oras,
Ne Regum pompas admirarere superbas,
Et nostris ignota prius miracula sylvis?
Lyc. Quid facerem, male grata mei si jussa parentis
Urgebant? Corylos, atque haec viridantia testor
Gramina, discessi lugens, Puerumque sub antro,
Et Pueri Matrem, fletu erumpente, reliqui;
Sed lacrymis nil mota feri sententia patris,
At nunc hoc etiam abfuerit, dum lentus aberro,
Ne pompas, et tanta miser portenta viderem:

Tu tamen, ut potis es, miserum solare dolorem:
Qui Reges, unde adfuerint, da, Tytire, nobis.
Tyt. Magna petis: quid enim tot barbara nomina gentis
Insuetae numeret? non si foret ipse Menalcas.
Namque Arabas, Tharsosque, et patria flumina Gangem,
Nescio quem Gangem, ni mens mihi falsa, ferebant,
Aurea Pastores tondent ubi vellera, et ipse
Inter flaventes undam rapit amnis arenas:
Hinc aderant, tantumque viae, tantumque laboris
Dulce fuit subiisse; sacrum dum Numinis antrum
Visere, dum teneris possent dare munera plantis.
Lyc. Mira refers; nam quis per tot discrimina rerum
Errantes duxisse gradus, et Numinis antrum
Monstrare, et puerum potuit docuisse recentem,
Quem neque vicinas populi didicere per urbes,
Nec nisi jam nostrae norint resonare myricae?
Tyt. Index fidus erat, quo non formosior alto
Prima nocte faces inducit Vesper olympo,
Nec revocat clausos ad pascua Lucifer agnos.
O Lycida, quam pulchra dies, quum celsa praeiret
Stella gradus, quum tergemini longo agmine reges
Servorumque chori lumen sequerentur amicum!
Illa, ubi ventum est ad stabulum, tremebunda per auras
Constitit, et rutilas visa est demittere flammas.
Agnovere locum, nec pastoralia tecti
Culmina, nec visum cultu sub paupere Numen
Detinuit: sternuntur humi, Puerique Parentem,
Et tenerum alterno venerantur murmure Natum.
Tum clausae promuntur opes; redolentia thura,
Et myrrhae pingues, et copia divitis auri.
Funduntur que sacris inter cupida oscula plantis!
Lyc. Quid Genitrix tali adspectu, quid Pupulus ipse?
Tyt. Pupulus ambrosiis subridens lene labellis
Tendebat teneros ad regia colla lacertos.
Illa verecundo vultum suffusa rubore:
Atque oculos defixa solo pudibunda modestos,

Cautes, crede mihi, ipsas, et corda ipsa ferarum
Mollisset, quercusque sacros rapuisset in ignes.
Ut demum saturatus amor, vestigia retro
Versa premunt, patriasque iterum referuntur ad oras.
Lyc. O miserum Lycidam! en quae mihi gaudia, qualem
Praeripuit fortuna diem! Nempe hoc erat illud
Quod tantum quercu cornix clamaret ab altâ,
Quod toties offensa pedum vestigia, et ipsa
Nescio quo moesto streperet mihi fistula cantu.
At nunc nec misero jam visere sacra licebit
Antra mihi, nec vimineis, velut ante, canistris
Munera divinae ad cunas sacrare Parenti.
Illa aurum, myrrhamque, et grandia munera Regum,
Tytire, habet: campos et pastoralia dona
Contemnit, nostros et jam fastidit amores.
Tyt. Non equidem, o Lycida, non est quam munera Regum
Praevertant, fulvo capitur nec Parthenis auro.
Illa mihi de more, sacro dum carmina Nato
Concinerem, vultu facilis, velut ante, benigno
Adnuit; et cantu nihil est jucundius isto,
Tytire, ait, pretium minimum est in munere munus:
Simplicitas, et amor fulvo est pretiosior auro.
Lyc. Ergo age, quandoquidem sic est, properemus ad antrum,
Et quae littoreâ Mopsus piscator in actâ
Dona dedit nobis, Puero servata feramus.

ECLOGA II.

XAVERIUS.

THELGON, DORYLAS.

Thel. Mirabar, Doryla, vicinae in margine ripae
Retia dum relego, et vacuas sine pondere nassas
Quid tantum ingratos iterarent undique luctus

Halcyones, quid sola novis per saxa querelis
Aequorei gemerent carmen miserabile mergi.
Xaveris heu! nostri raptum decus aequoris, illos
Xaveris ad lacrymas, et fata extrema ciebat.
Dory. Sic est: hoc fuerat Thelgon, quod littore Goo
Dum vehimur, conchasque imis piscamur arenis,
Scrutamurque alto rubicunda corallia fundo,
Non quas ante suis choreas Delphines in undis
Ductare, aut medium auderent resilire per aequor;
Sed moesti patulo vicinum ad littus hiatu
Nescio quo patrios complerent murmure fluctus.
Me miserum! adspexique omen, totoque notavi
Littore, nec tantos potui mihi fingere casus:
Hos illi, o Thelgon luctus, haec funera flebant.
Thel. At mihi nunc spes quandoquidem jam nulla relicta est,
Heu! dulces audire sonos, et visere lumen,
Cujus ab adspectu rabidos mitescere ventos
Vidimus, horrentesque Thetin mulcere procellas,
Jam nec cymba placet, nec littora. Lenta jacebunt
Retia per scopulos, et viminei Labyrinthi,
Et levis invisâ calamus cessabit arenâ.
Hic locus, haec nostros tantum surda aequora luctus,
Concavaque immites resonabunt saxa querelas.
Dory. Quin potius, qua celsa sinu tegit urna beato
Dilectae exuvias animae, corpusque sepulchro
Ridet adhuc (verum nam si mihi rettulit Egon,
Ridet, et adsueto piscantibus annuit ore)
Pergamus, vultuque oculos pascamus amato.
Thel. Ah Doryla, haec forsan qui spes heu! pascit inanes
Finxit amor: solet ille oculis inludere nostris.
Dory. Hoc Lycidas, hoc ipse Mycon, hoc et Polybotus,
Et senior nostra narravit Mopsus in actâ.
Illi oculos, atque ipsa etiam sub morte serenas
Conspexere genas: illi ridentia membra,
Atque artus manibus contrectavere recentes,
Et devota sacris libarunt oscula plantis.
Thel. Ergo age, si mihi vera refers, age, littore puppim

Solve celer, placidi quando maris aequore toto
Unda silet, luduntque hilares Zephyritidos aurae.
Nulla mihi jucunda magis, quam quae sibi tellus
Fortunata sacros gremio complectitur artus.
Dory. En tibi laxatos collegi rite rudentes,
Spirantesque ferunt volitantia carbasa venti.
Interea tu si quid habes, quod taedia longae
Soletur taciturna viae, modulare: silenti
Suspensum fluctu ceruis mare, lentaque nullo
Murmure spirantis circumvolat aura Favoni.
Thel. Gmono haec quae vacuo nuper resupinus in antro,
Cum primum, heu! luctus Celadon retulisset amaros,
Deflevi, duraque amens in rupe notavi,
Expediam. Tu purpureas de murice conchas
Dona para, et plenis, Doryla, gravia ostrea gemmis.
Fluctus, heu! noti fluctus, et litora remis
Pulsa meis, scopulique maris, lustrataque saxa,
Retiaque, et nassae, et toto quaesita profundo
Muta armenta mihi, et tenui mea cymba carinâ,
Xaveris occubuit, jacuitque exanguis arenâ;
Flete, licet, nostris et respondete querelis.
Quod si surda silent maris aequora, vos, age, saltem
Spargite moerentes mea lumina, spargite fletus.
Heu pietas! quid jam misero mihi dulce relictum est
Denique, quid misero jam dulce? ipsa aequora sordeut,
Cymbaque, cumque suis vilescunt ostrea gemmis.
Te, Genitor, moriente, omuis mihi rapta voluptas.
Spargite moerentes, mea lumina, spargite fletus.
Tu mihi namque Parens, tu caligantia coecis
Lumina demsisti tenebris: me sydera primum
Sperare, et tuto docuisti insistere cursu
Aetheris: et, Thelgon, dixisti, sydera, Thelgon,
Te poscunt, certumque patet tibi limen olympi.
Spargite moerentes, mea lumina, spargite fletus.
At nunc quis vel thura piis imponere flammis
Edoceat, vel litoreas quaesita per undas
Munera sacrare offenso placitura Tonanti?
Qualis quae viduata suo vaga cymba magistro
Fertur in oppositas nullo prohibente charybdes,

Talis, te rapto, talis te, Xaveri, Thelgon.
Spargite moerentes, mea lumina, spargite fletus.
At saltem ipse tibi extremâ conjunctus in horâ
Vidissem morientem, et solâ in rupe jacentem!
Frigentes fovissem artus, atque ultima verba
Inscripsissem animo, et tecum quoque forte perissem.
At nunc deserto jacuisti in litore, nec te
Adspicere extremum potui, nec membra sepulchro
Condere, eodemque, heu! lacrymas tumulare sepulchro.
Spargite moerentes, mea lumina, spargite fletus,
Hic certe vacuo statuam tibi litore saltem
Aequoreis aram conchis, algâque virenti
Surgentem; celso nam tu sublimis olympo
Regna tenes, coelumque, et lucida sydera calcas.
Hic tibi dona feram lacrymis conspersa, tuumque
Litoreas nomen resonare docebimus undas.
Claudite moerentes, mea lumina, claudite fletus.

ECLOGA III.

PARTHENIS.

Corydon Pastor, quaesita frustra per campos Parthenide, dum ejus ab antro discessum lacrymis persequitur, lustralem ad Templum profectionem ex Lycida cognoscit: tum ambo in Pueri, Virginisque laudes alternis erumpunt.

CORYDON, LYCIDAS.

Cory. Quos aditus, quae jam refugis nemora avia claustris
Lustrabis, Corydon, aut quos errare per agros
Institues? Vitrei per prata virentia fontes,

Sylvarumque umbrae, convexaque cautibus antra
Dicite, quandoquidem campos fastidit et arva,
Dicite quas servet pulcherrima Parthenis urbes?
Lyc. Fallor, an arboreâ Corydon flet solus in umbrâ?
O Corydon, quae caussa graves inopina querelas
Excitat, et misero jubet indulgere dolori?
Noune vides procul ire greges, et vindice nullo
Incustoditas per prata errare capellas?
Cory. O Lycida, nec cura gregis, nec cura salutis
Ulla mihi superest: quid enim iam caetera prosint,
Parthenide amissâ! Miseros pertaesa colonos
Illa abiit, nec quos demum diversa penates
Incolat, inveni, nec queis in saltibus erret.
Lyc. Nescis ergo sacris Infantem ut sisteret aris,
Ad delubra gradu Matrem properasse pudico:
Cory. Non equidem audieram: meliora ad pascua namque
Ivimus, et teneros procul hinc abduximus agnos.
Nunc demum, heu! serus redeo: sed prata virentes
Si tibi sufficiant haedis pascentibus herbas,
Pergentem licuit sacras deducere ad aras?
Lyc. Et licuit; Lycidam nec dedignata sodalem
Virgo Parens: aequo tulimus vestigia gressu.
O Corydon, o qualis erat! non pulchrior ullo
Tempore divinos vultu adspirabat amores.
Ipsa, mihi credas, avulsa a sedibus imis
In Dominae occursum Solymeïa currere Templa
Visa mihi, ipsa novo sacra exultare susurro.
Tum pius haud frustra tanto inflammatus ab aestu
Numinis, o Senior quae fata arcana Sacerdos
Praecinuit, quales effudit pectore sortes!
Nazareos Genitrix, Galileïa regna, penates
Nunc colit, et patrias servat pulcherrima sedes.
Cory. Fortunate Puer! dulcem adspexisse Parentem
Cui licuit, misero decedentemque mapali
Adfari extremum, atque extrema adjungere dona!
Ipse etiam, ah Lycida! ni sors inimica fuisset,
Ipse comes venissem, et nostro forsitan agnus
De grege lustrales isset sacrandus ad aras;
Aut nostrâ gemeret deductus ab arbore turtur.

At modo, dum luctus quo consolemur amaros,
Nil superest: vacuo saltem resupinus in antro
Virginei partus cautes, et conscia saxa
Servabo, et gracili carmen modulatus avenâ
Illius ad notas nomen jactabimus auras.
Lyc. Ipse etiam, tenerae tondent dum prata capellae,
Tecum adero, et, si forte placent, alterna canemus
Carmina; Parthenidi, memini, nam alterna placebant.
Incipe tu, Corydon, te fistula nostra sequetur.
Cory. Muscosae cautes, et conscia Virginis antra,
Quamvis neglecto jaceatis squallida saxo;
Vos mihi cara domus: vestro spirare recessu
Dum liceat, patrii vilescunt tecta mapalis.
Lyc. Felices umbrae, et manibus reptata tenellis
Antra Deo, quamvis sylvestri horrentia cultu,
Non mihi dulce magis campos Jordanis amicos,
Moeniaque, et sedes Solymae incoluisse superbas.
Cory. Hic ego divinos meditatus Virginis ignes
Instabo ad numerum tenues ex ordine cannas;
Haec loca Parthenidem, percussaque vocibus antra,
Parthenidem dulci resonabunt saxa susurro.
Lyc. Hic ego divini nomen mihi dulce Puelli
Inscribam scopulis, et cuspide falcis acutâ
Mandabo saxis teneros in imagine vultus;
Haec spelunca meos testabitur omnis amores.
Cory. Vere novo roseum campo Zephyritis honorem
Quum referet, varioque ornabit prata colore,
Hic ego purpureis populatus floribus hortos
Suspendam circum nexas de more corollas.
Lyc. Quum gravis optatâ pendebit in arbore fructus,
Curvabuntque suos poma autumnalia ramos,
Hic ego lecta feram plenis pia dona canistris,
Et sacrata omni pendebunt munera saxo.
Cory. Dulce apibus flores, viridantia prata capellis,
Hesperus agricolis, fontes sitientibus arvis;
Sic mihi dulce fuit cupidos in Virgine vultus
Figere, dum nostrum non dedignata mapale est.
Lyc. Triste apibus taxi, maturis grando racemis,

Syrius et campis, et flavis messibus imbres;
Sic mihi triste, aliis dum, Pupule, vivis in oris
Non posse ad teneras deponere munera plantas.
Cory. Sed jam lassato Titan subit aequora curru,
Vesper et aethereo flammas accendit olympo;
Occidit et Titan, et nox cadet ipsa; sed unus,
Alma Parens, nostri non occidet ignis amoris.
Lyc. Jam tacet omne nemus, volucris tacet omnis, et omnis
Fluminis unda silet; sileant et carmina; sed te
Si taceant versus, taceant si carmina, Pupe,
Hic locus, hi montes, haec ipsa arbusta loquentur.

CAROLI NOCETI.

EGLOGA.

CELADON PASTOR, LYCIDAS PISCATOR
D. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS LAUDES CANUNT.

Lyc. Dic mihi, cur dominâ, Celadon, tam serus ab Urbe?
Nam tibi nec gelidi dura inclementia coeli,
Nec pluviae fecere moram: formosior usquam
Non fuit ulla aestas, nec tempore forsitan ullo
Tam levibus mites spirarunt flatibus aurae.
Certe ego caeruleos dum sector arundine pisces,
Et placido vacuas demitto in gurgite nassas,
Nunquam immota magis vidi stare aequora; nunquam
Clarius ex imo tenues se prodere arenas.
Cel. O qualis, Lycida, qualis spectacula pompae,
Qui cantus, festique ignes, quae gaudia denos
Me Romae tenuere dies! quae dum omnia mecum
Nunc etiam recolo, mihi crede, virentia sordent
Prata, nec agrestes, cum forte in gramine molli
Rustica turba salit, possum jam ferre choreas.
Lyc. Non equidem temere tam longo tempore rebar
Linquere te solas voluisse per arva bidentes.
Praesertim cum nec Pholoe, neque Chloris adesset,
Quae pastos caulis noctu concluderet agnos.
Verum ea quae fuerint, Celadon, da gaudia nobis.
Auditis quoque rebus inest saepe aequa voluptas.
Cel. Hoc equidem volvo, tenui si claudere versu
Cuncta queam, laetâ quae passim adspeximus Urbe.
Proxima lux aderat, magnum quae Daphnin olympo
Intulit, et numerum Divorum altaribus auxit.

Quis tamen hic primum ductam longo ordine pompam,
Perque vias strepitumque equitum, sonitumque rotarum
Cantibus aequiparet? mediis quum in millibus Heros
Iret, et in templum dona ampla inferre pararet?
Vel cum quadrupedem phalerisque ostroque superbum
Principis ante pedes ipsa intra limina templi
Vectigal regnorum, atque alti nomine regis
Sisteret, et multo loculum daret aere sonantem?
Atque utinam possem tibi verba alterna referre.
Sed mea paupertas, braccatique agminis hastae
Submotum longe voces audire vetarunt.
Magnum Illum tamen adspexi, qui pascua late
Cuncta tenet, cunctumque orbis regit omnis ovile;
Cui pecudes parere ferunt, pecudumque magistros.
At quanto incessit perfusus lumine frontem,
Quem se se ore ferens! Scires, pia numina terris
Daphnidis hunc posuisse loco; tantum instar in ipso est.
Sed jam vesper erat, cum centum explosa repente
Aera tonant, magnisque lacessunt ictibus auras,
Undique et omnigenas turris vomit ardua flammas.
Ut ruit in campos densissimus aethere nimbus,
Ut juga coniferae cingunt montana cupressi;
Ut subito extructis saliunt de fontibus undae,
Sic ego vidi ignes; tum longo limite sulcos
Surgere flammarum, et stellas fluere inde cadentes.
Quin etiam coelo, si quidquam credis, aperto
Vidimus ignitos, ut in aequora, ludere pisces,
Et trepidam huc illuc agitare per aëra caudam.
Quos tibi si, Lycida, tua fata videre dedissent,
Forsitan in superos jecisses retia campos.
Quid loquar, ut cunctis exinde urbs tota diebus
Thure vaporatas, precibusque incenderit aras
Daphnidis, et sacros templo celebravit honores?
Nec requievit enim; donec tandem extulit ortus
Nona aurora suos, radiisque retexit olympum.
Quid tamen exiguis juvat haec tenuare camoenis?
Tu potius tantis ut plausibus adsonet aequor,
Quaque licet, dominam referant tua littora Romam,
Incipe, si quid habes, et Daphin concava portus,

Pulsati Daphnin repetant per caerula fluctus.
Incipe: piscator meruit sibi talia Daphnis.
Lyc. Immo haec, quae Latias properavi nuper ad undas,
Quaeque meus legit, neque spernere visus, Amyntas,
Incipiam: modo tu, Celadon, tua carmina nobis
(Nam pavit quoque Daphnis oves) meliora rependas.
Cel. Tecum equidem non unquam ausim certare canendo.
Quid tamen et nostrae possint in Daphnide musae
Experiar: sed tu meditatos incipe versus;
Incipe; quando acres nullus mulcere procellas
Lenior, et motos cantu componere fluctus.
Lyc. Vellite ab invitis nodosa corallia saxis,
Ostreaque, et toto conchas perquirite ponto,
Nereides; dignum non unquam Daphnide munus
Illius ad tumulum, sacrasque feretis ad aras.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Dum traheret pisces, dumque aurum piscis in ore
Solveret inventum, fortasse haec dona decebant.
Postquam illum jussit summi Regnator olympi
Littus ad aeternum potiores ducere praedas,
Gemmiferas, Divae, spolietis oportet arenas.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Sed quid ego haec autem neptunia numina posco?
Fabula jam Nereus, Panopeque, et candida Drymo,
Fabula Cymothoe; sed non et fabula Daphnis.
Ille hominum miserâ tenebras de mente fugavit,
Compulit et vanos toto orbe facessere divos.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ille novus pelago Deus additus; Ille tuetur
Aetherios postes, terris Ille imperat imis.
Subdidit et parvâ circum maria omnia cymbâ;
Atque unus tria regna sacris moderatur habenis.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Daphni, tuam cunctas victricia vela per undas
Explicuisse ratem, Poeni, Ammericique loquuntur,

Horridus Arctoâ loquitur piscator in actâ,
Atque Arabes, Persaeque, atque extremi Garamantes.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ite sacrae puppes, et sceptrum Daphinis omnes,
Si qua super non nota manent, portendite in oras.
Nec signorum obitus posthac servate, vel ortus.
Ecce novum coelo processit Daphnidis astrum,
AEquore jactatis melior cinosura carinis.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ast ego ubi cineres felix legit ara sepultos,
Quatuor et magnae sinuoso ex aere columnae
Aurea fulgentis sustentant culmina tecti,
Igne sacro, et plenâ thuris venerabor acerrâ.
Votaque semper erunt, et cum tentabimus aequor,
Et cum servatas referemus ab aequore puppes.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Tu tamen aetherei servas qui limina portus,
Sis pius o! bone Daphni, tuis: bella (aspice) venti
Dira movent, coecasque occultant marmora cautes.
Da faciles auras, et cursum, Daphni, secunda.
Tollite ad astra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Fallimur? et coeli Daphnis de parte serenâ
Intonuit laevum? non fallimur: auribus hausi
Ipse sonum; nec semper amans sibi somnia fingit.
Sensit ab axe bonus, mea sensit carmina, Daphnis.
Cel. Grande sonas, Lycida, nec ab alto murmura malim
Labentûm fluviorum, aut cum per caerula cauri
Praelia saeva gerunt, fremitus audire marinos.
Fortunate Senex! jam te non magnus Aretas,
Non ingens Oritus vincat; nec, quis fuit ille?
Quem cecinisse olim resonantibus omnia sylvis
Nescio quam dicunt Auroram, arcumque bibentem;
Nos tamen et contra nostra haec quaecumque canemus.
Et mihi si nostrae cedunt in carmine musae,
Non animis etiam celebrando in Daphnide cedent.
Lyc. An quidquam nobis cantu sit gratius isto?
Et te Pierides vatem fecere, neque ulla

Dulcior arcadiis resonat jam fistula sylvis.
Cel. Quas mihi nunc rupes, montesque recluditis altos,
Aonides? quae grandiloquae mihi munera vocis
Phoebe pater, quas tu insuetas in carmina vires
Sufficies nunc, Phoebe, quibus sublimior agris
Tollar, et attritae spernens rude murmur avenae
Incipiam dignos meditari Daphnide cantus?
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Nos mortale pecus miserae per pascua terrae
Ducimus, aut pecori fragiles apponimus herbas,
At gregis aeterni felix custodia Daphnis
Longe alias et noscit oves, et noscitur illis.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Has non Dametas olli; non tradidit Egon,
Non opulentus agris, et abundans lacte Menalcas;
Ipse sed in terras demissus ab axe Theander
Pasce meas, dixit, sacris in montibus agnas,
Pasce, tuumque mihi sic, Daphni, probabis amorem.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Perge pecus felix procedere; nunc bene gramen
Carpitur: innocuos Daphnis tibi praestitit agros;
Praestitit et tutas sinceri fluminis undas.
Pocula jam serpens non inficit ulla veneno,
Nec cythisos inter livent aconita salubres.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Huc, huc o cunctae properate ex orbe capellae:
Nulla salus aliis, ne quis vos fallat, in agris.
Pascua namque, bonus, quae non tenet, extera, Daphnis.
Omnia virus habent; omni latet anguis in herbâ.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Nullaque vana suae praetendat nomina culpae,
Causeturque sacras se non dignoscere caulas.
Qualiter aërio se se dat clara videndam
Urbs imposta jugo, cunctis spectabile terris
Daphnidis aeternum sic se alte ostendit ovile.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Nec metus, exhaustis unquam ne foetibus omnis
Deficiat soboles, et inania prata relinquant,
Scilicet ut coelum semper vaga sydera pascet,

Semper ut aequoreas decurrent flumina in undas;
Daphni, tuae sic semper oves, et rura manebunt,
Damna nec interitus unquam sensura, nec aevi.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Ergo quid immites orci de faucibus ursi,
Quidve lupi, obscuris huc tot properatis ab antris?
Frustra eritis: sancto, Daphnis quod servat, ovili
Ulla nec Eumenidum poterit vis saeva nocere,
Quotquot et infernae fundant monstra horrida portae.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Quid miser adspicio? mille, heu! per vulnera Daphnis,
Ut tutetur oves, vitam cum sanguine fundit.
Macte tamen pulchro, Pastor macte optime, letho.
Non ovibus poteras majus dare pignus amoris;
Nec vitâ solum aequiparas, sed morte Magistrum.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
At nunc post vitae tantos, obitusque labores
Sub pedibus solisque vias, atque aurea Daphnis
Astra videt; foribusque alti praefectus ovilis
Divûm ad septa vocat terris ex omnibus agnas;
Atque intro meliore haedos compellit hybisco.
Despice bucolicos, mea fistula, despice versus.
Quid volui demens? majoraque viribus ausus
Magna Deûm parvis tenuavi facta cicutis?
Non mihi si calamos det Tytirus ipse sonantes,
Queis cecinit dignas romano consule sylvas,
Daphni, tuas possem laudes aequare canendo.
Rursus ad agrestes redeas, mea fistula, versus.
Lyc. Et tu non mecum audebas contendere cantu?
O nimium, Celadon, o de te injusta locute.
Pieridas superant nostras tua carmina tantum,
Quantum ululas Cycni, quantum Philomela cicadas.
Cel. Has in te potius, Lycida, convertere laudes
Me decet; Ausoniâ quando te Phoebus in omni
Rectorem vatum, et cantus dedit esse parentem.
Sed jam, age, surgamus: verso nam pronus olympo
Me vocat ad caulas, te jacta ad retia vesper;
Et celeris volat hora, neque audit tempus habenas.

CAROLI ROTII.

DE SANCTO ALOYSIO GONZAGA.

IDYLLION.

—

Saepe Dionaeis Gonzagam incessere telis
Nequicquam expertus Veneris puer, aeger, et amens
Errabat, luctuque animum pascebat amaro.
Olli non curae lascivum fingere crinem,
Non myrto vincire caput; prope lapsa trahebat
Spiculaque, pharetramque humeris: utque ales iniquo
Imbre gravis, pressis ibat demissior alis.
Tum primum Nymphae in silvis, et Oreades altis
Montibus Arcadiae puerum risere petulcos
Dejicentem oculos, incedentemque modeste.
Nec minus aequalis fratrum, lascivaque Amorum
Huc illuc manus assultans, occursat eunti,
Moliturque moras, et pulvere conserit alas.
At Venus, ut vidit moestum, horrentemque capillos,
Implentemque sinum lacrymis, aggressa jacentem,
Parce, puer, dixit lacrymis, exporrige frontem;
Neu tantum moerere velis, quae causa serenos
Faedarit vultus, animumque absorbeat aestu,
Nota mihi: Mene incaepto desistere victum?
Nec posse unius transfigere pectus Ephebi?
Qui quondam in silvis, interque horrentia claustra
Nestoreis illusi annis, incanaque menta
Silvicolum .... sed enim, modo fidae dicta parentis
Nate, velis audire, viam qua denique vincas,
Ostendam. Puerum telis, ne nescius erres,
Incassumque iterum pugnes, incessere noli.
Namque illum intacti servatrix Diva pudoris,
(Heu caput invisum Veneri! qua praelia mecum

Vi gerat, et quoties nos fregerit improba, nosti.)
Haec igitur, vitae primas ubi venit in auras
Exceptum gremio fovit, mentitaque vultum
Nutricis, falsasque ostentans vertice vittas,
Multa manu miscet, Puerique potentibus undis
Membra lavans ullis fecit non pervia telis.
Ergo illum immisis frustra aggressure sagittis
Diversa grassare via: sepone pharetram,
Spiculaque illa, puer: non omnes omnia vincunt,
Insidiisque alios aliis captemus oportet,
Si nos digna manet speratae gloria palmae.
Ergo age deposita pharetra paulisper, et arcu
Opportuna magis cape retia (retia coram
Explicat, ostentatque leves imitantia nubes)
Eque meis, addit, (noli sprevisse) capillis
Facta vides: feci ipsa manu, longique laboris
Taedia sustinui: nec poenitet: utere laetus
Matris Acidaliae donis: his instrue dextram,
His venare, puer: certa est victoria: vidi
Retibus haerentem, qui spicula fugit Amoris.
Dixerat, et nato lacrymas siccavit obortas,
Permulsitque manu pennas, atque oscula fixit.
Explicuit frontem, laetasque procacius alas
Jam non tristis Amor: manibus vaga retia torquet
Exsultans, fraudique accommoda tempora captat.
Nox erat, et serae puerilia pensa Minervae
Reddiderat; studiisque animum Gonzaga remittens,
Aequales inter ludo certabat ephebos,
Cui secus innocui succederet alea Martis
Errandoque minor discederet, ille superbi
Hostis ad arbitrium penas de more ferebat.
Victus eras Gonzaga: Ter oscula protinus illi,
Victor ait, defige umbrae: projecerat umbram
Parietem in adversum roseo virguncula vultu.
Risit Amor: plaudensque alas, nunc retia tempus
Tendere, ait: retis non aspectabile textum
Explicat, et media furtim disponit in umbra,
Inseditque locum: tum ne quid fraudis omittat,
Interea fundo conversae e pyxidis imo
Incestas aspergit opes: collegerat illuc
Narcissi lacrymas, illuc suspiria Thisbes,

Immistumque cruore illuc morientis Elisae
Fletum infelicem: diversorumque furorum
Seminaque, causasque, et quidquid fletis amantes.
At Gonzaga; doli quamvis ignarus, et artis
Tartareae; trepidare animo, incertusque morari,
Quid faciat? praestetne, umbram libare puellae,
Aut magis abnuere imperium, legesque superbi
Victoris? Sancti praeses Dea casta pudoris
Dilecti capitis sensit discrimen et ora
Ora, habitumque tuae simulans, Gonzaga, parentis
Quid meus, o, cunctaris, ait, nec jussa facessis
Victoris? nempe illa procul deformis imago
Apparens, oculos terret, gressumque moratur.
Verum age, et ut possis certis discernere signis,
Num quae justa tibi tanti sit causa timoris,
Hanc cape crystallum: caelesti purior astro
Lucebat, dignamque Dea cognoscere posses.
Vix dum illam adversae Gonzaga objecerat umbrae,
Quum subito occulti patefacta Cupidinis arma
Fallentesque plagae, laqueique, nigrumque venenum
Ostensum, caecam quo tinxerat improbus umbram
Exspuit; avertitque oculos: ac ocyor Euro
Proripiens se se caecis penetralibus abdit.
Macte fuga generose Puer! molire triunphos,
Aligerosque ad frena voces: viden? ora Cupido
Verberat infrendens, indignaturque dolosas
Nil valuisse artes: at vultu Diva sereno
Gratatur; dextraque tibi, quae nunc quoque praefers,
Lilia dat gestare, nives vincentia primas.

FRANCISCI CONTOLI.

LYSIAE PASTORIS DE EXCIDIO SOLYMAEO.

LAMENTATIO.

Emenso Phoebus jam decedebat olympo,
Suspensumque jugo referebat taurus aratrum,
Cum viridi in prato terebinthum subter opacam
Ingenti Lysias confossus corda dolore,
Idem pastorum Lysias, pecudumque magister,
Talia jactabat resonantibus undique sylvis.
Accelera o magni lux splendentissima mundi
Sol rerum pater, occiduo caput obrue fluctu;
Et reditus aurora novos cum sedula poscet,
Abnue depulsis terras lustrare tenebris;
Aut procul a nobis currus averte nitentes:
Aeternam praestat dulci sine lumine noctem
Ducere, quam tantos patriae spectare labores;
Obrue, Sol, caput occiduo celer obrue fluctu.
O Solyme, o Superum quondam dilecta Parenti
Urbs alias inter tanto praestantior urbes,
Purpureis quantum cedit saliunca rosetis!
O virgo Isacidûm eximio laudata decore,
Quam mille ardebant pastores, et sibi quisque
Optabat, castum licuit dum jungere foedus!
Quis Deus, aut quae te duri inclementia fati
Impellit miseram tam diros volvere casus,
Obsessamque pati gentis fera bella cruentae?
Obrue, Sol, caput occiduo celer obrue fluctu.
Non tot sub brumae glacialis tempora prima,
Undique devectis cum squallent frugibus arva,
Lapsa cadunt folia, et sylvae sternuntur opacae,

Millia quot Latiis venerunt agmina ab oris
Isacidûm campos populari, avertere praedam,
Et longe captos servitum abducere cives.
Obrue, Sol, caput occiduo celer obrue fluctu.
Quid miser, heu! faciam tanto in discrimine rerum?
Quae mihi spes superest, aut quae via certa salutis?
Circumstant acies dextrâ, laevâque latinae:
Agmine nulla caret pars, quamvis abdita, ruris:
Culmina montis habet pedibus vix obvia nostris,
Et nemora et valles, et prata virentia miles.
Non precibus, lacrymisque sinunt se barbara flecti
Corda, nec in nostros quaecumque paravimus usus.
Diripuisse sat est: districtis corpora telis
(Horrendum dictu!) invadunt, et spargere certant
Agrestes dirâ miserorum caede penates.
Obrue, Sol, caput occiduo celer obrue fluctu.
Saepe pater mihi consilio maturus et annis,
Dum teneros ovium foetus deferret ad urbem,
Debita qui caderent placandis hostia divis,
Cuncta animo recolens veterum praesagia vatum
Obscuros memini jam tum praedicere casus.
Namque canebat, uti nullo mitissima cultu
Ferret humus germen, ramis felicibus olim
Quod tegeret late populos, bona si modo noscent
Tunc sua, nec fatis obstarent forte paratis.
His quoque Judaeam regali stirpe Puellam
Nescio quam addebat, nullos quae passa viriles
Attactus pareret, casti nec damna pudoris
Ulla subire queat, praeclarum matris honorem
Virginitate pari servans, jurataque pacta.
Nec minus indignâ narrabat caede necandum
Agnum, qui moriens veteris contagia culpae
Dilueret, longâ solvens formidine terras:
Pro qua caede tamen Solymeae civibus urbis
Impendere graves referebat Numinis iras.
Haec mihi commemorans verba inter singula multas
Fundebat senior lacrymas, dextrâque prehensâ,
Heu! quos, Nate, inquit, nobis aetate superstes
Casus, quae saevae spectabis funera gentis?
Evenere: Deus veteri jam fraena relaxat
Irae, et nos fato perituri urgemur acerbo.
Obrue, Sol, caput occiduo celer obrue fluctu.

Quid juvat aetatis laudes meminisse prioris,
Virtutemque Patrum? teretis cum verbera fundae
Torquens immani sternebat mole gigantes
Pastor, et armato referens ex hoste triumphos
Otia reddebat campis, et pulsa trementi
Corda metu exhilarans pacem sperare jubebat.
Tempestate illâ mentemque animumque benignum
Ostentans Deus, Isacidûm res ipse fovebat,
Pollicitique memor pactum servabat amorem:
Nunc miseros ultro saevum mutatus in hostem
Insequitur: tanti caussas sciet ille furoris.
Obrue, Sol, caput occiduo celer obrue fluctu,
Obrue, dicebat; subitum cum desuper imbrem
Colligit adveniens nox: magno murmure coelum
Miscetur late, et crebris micat ignibus aether;
Effugit ille, cavum trepidusque recedit in antrum,

ANGELI TINELLII.

MAGDALENAE PLORATUS.

ECLOGA.

Carmina Bethanicae referamus moesta Puellae,
Carmina, quae quondam memores audita notarunt
Cimberius simul et Liscus, piscator uterque,
Qua velox Rhodanus se lata per ostia fundit;
Massiliaeque procul fruticosa cacumina montes
Ostentant pelago: piscosis scilicet illis
Littoribus soliti peragrare, ac tendere nassas:
Quin etiam experti, vicina ubi stagna redundant
Mugilibus, quos ut capias, nil retia prosunt:
Per vada nam fugiunt in apertum, voce vocati
Ni magna, adversum properent delphines ab alto
Ad praedam socii, capturae et fercula ovantes.
Illi sub tacita peterent dum nocte propinqua
Oppida laturi contexto in vimine pisces,
Intervalla viae vario sermone levabant:
Nuper Idumeis rate parva e finibus illa
Ad freta cum redivivo advectas fratre sorores,
Quos odia exegere superstitiosa suorum:
Et ritus docuisse novos, unde aurea surgit
Relligio, atque huic tam multas se adjungere gentes,
Quam multas zephyrus conchas ad littora cogit,
Sanguineis vernat quot lotos aquatica baccis.
Talia dum memorant, non longe apparuit illis
Rupe sub aeria vasto spelunca recessu,
Fons ubi per vepres praeruptaque saxa volutus
Murmure raucisono nocturna silentia rumpit.
Ecce autem ex antro species veneranda puellae

Prodire aspicitur vultu radiante per umbras,
Squallidula veste, ac longis per colla capillis,
Confecta illuvie macieque: sed omnis ab illa
Non tamen abscessit rari sua forma decoris.
Haec Magdalis erat, quae dudum huc advena solis
(Ut fama) in specubus vitam luctuque trahebat.
Tunc illa ardentes oculos ad sidera tendens,
Anxia promebat dulci suspiria cantu.
O divine, inquit, mea lux, mea vita Magister,
Heu quibus in terris, qua te regione revisam
E nostris ereptum oculis, postquam astra petisti?
At licet absentem, te certe semper amabo,
Nec minus os oculosque tuos ac verba recordor,
Quando me tua complexam vestigia pacis
Foedere donasti commissa piacula solvens:
Imo etiam nostrum non dedignatus amorem
Bethanicas hospes subiisti saepius aedes;
Voce potens animam fratris revocare sepulchro.
Me quoque ut electa meliori parte probasti,
Dum recolo, quae me coelesti affabilis ore,
Quaeque alias cymbae insiliens matresque virosque
Collectum aprica docuisti vulgus in acta.
Mox in olivifero nocturnis colle tenebris
Quod sibi non licuit tristissimo adesse Magistro,
Illa dolet, guttasque abstergere fronte cruentas;
Sedula quae melius vigilasset opemque tulisset,
Quam fusi per humum comites somnoque sepulti:
Dum morti ac manibus non inscius ille furentum
Perfidia ac scelere objicitur venalis alumni.
Hinc visu lacrymanda refert spectacula, ut illum
Viderit exedra ostensum Praetoris ab alta,
Viderit ipsa suis oculis immania passum
Verbera, et ulceribus lacerum, et ludibria vestis
Purpureae, et genus heu cruciatus! tempora dumis
Saucia confixis: tamen illi extrema precatur,
Instigante astu procerum, senibusque malignis
Supplicia acclamans ingrati turba popelli.
Nescia tam misero adspectu mansuescere corda.
Post haec immeritam ad mortem comitatur euntem
Durum humeris truncum necis instrumenta trahentis
Saepius ad saxa offensum, genibusque labantem,

Foemineos inter gemitus, quos inter et ipsa
Alma Parens, sed enim certo quae numine nosset
Id fieri, invicto premit altum corde dolorem,
Spectatura sui crudelia funera Nati.
Inde animo visam sublimi in imagine pugnam
Narrat difficilesque obitus, quando ille laborat
Infando affixus ligno: mirabile! vitam
Protegere augustam visa est Aphtarsia Diva,
Ore vigens juvenili, aeterno haerentibus alis
Nexu elata ab humo, viridi pulcherrima veste
Aurea perpetuo contexta monilia circlo,
Purpureisque gerens sertum immortale amaranti.
At contra coelestis Amor stellante corona,
Armiger adstabat cui strenuus ales, aperto
Dilectos pascens pelicanus pectore natos,
Ardebat culpas populi ferale merentis
Exitium, Juvenis Divini morte piare.
Tela hujus crebrosque ictus Dea nescia mortis
Fatalem clypei opponens adamanta retundit.
Quum Superi horrerent, tenebrisque ac motibus orbis
Concussus validis tremeret certamine longo
Exsuperat tandem vis omnipotentis Amoris,
Qui sacrum in corpus conjecta cuspide, summo
Immortale Patri caput immolat, atque ita fatur:
En Amor hanc animam luctantem corpore solvo.
Talia Cimberio, Liscoque stupentibus, illa
Dum meminit plorans, aurora in vertice montis
Incipit, ac longe tremulo illucescere ponto,
Compressit vocem ac gelido se reddidit antro.

VINCENTII FUGÆ

ECLOGA I.

MENSIS MAJUS MARIÆ VIRGINI DICATUS.

CORYDON, MELIBOEUS.

Cor. Dic mihi (nam Phoebus nondum duodena peregit
Signa poli, patriis ex quo depulsus ab oris
Heic miser exiguo pecori nova pabula quaero)
Quid tantum, Meliboee, nemus collesque propinqui
Pastorum insueto respondent undique cantu?
Num vos quandoquidem Majae venere calendae,
Formosae haeic laetos Florae celebratis honores,
Felicemque agris, pecorique exposcitis annum?
Cui properat Nymphae, quos undique rustica nuper
Carpebat pubes, in serta nitentia flores?
Mel. O Corydon, dulces cantus, quibus assonat aether,
Et nuper vario contextas flore corollas
Non florum matri pastorum turba paramus,
Nec cuidam ex Nymphis, quales errare videmus
Per lucos passim, aut fluviorum emergere fundo.
Nympha alia, aut Diva his potius celebratur in oris,
Omnis cui tantum concedat Nympha decore,
Quantum rivus aquae Tiberini fluminis undae,
Cum superat ripas hiemalibus imbribus auctus.
Nec solum Majis resonant huic festa calendis

Carmina: sed donec mensis laetissimus anni
Florescet, pubem hanc nova texere serta juvabit,
Tollere et ad caelum Nymphae immortalis honores.
Cor. Quid tantae, Meliboee, mihi quoque nomina Nymphae
Non pandis, cur et tam longo tempore, et isto
Praecipue tantos illi tribuatis honores?
Ipse etiam Nymphae, norim modo, serta pararem,
Illius et nostra haec caneret quoque fistula laudes.
Mel. Parthenis est nomen Nymphae, qua dignior unquam
Nulla fuit, nostros cui consecremus amores:
Utpote quae superis quondam divinitus auris
Afflata, aeternam, Virgo, sub luminis oras
Ediderit prolem, per quam pastoribus atras
Cocyti ripas, dabiturque evadere Averni
Squalentemque lacum atque ardentes sulphure campos;
Tum superos sperare agros, et rura beata.
Insuper hoc quodcumque boni speramus agrestes
Parthenis id sperare jubet. Bona Parthenis agris
Dat gravidas segetes, laetis dat gramina pratis,
Pabula dat pecori, teneris lac sufficit agnis.
Demittit caelo pluvias, et nubila pellit.
Ergo inter menses, qui formosissimus anni est,
Hunc illi merito pastorum turba dicamus,
Illi quae Nymphas inter dignissima cultu est.
Cor. Quae rupes, Meliboee, cavis quae in montibus antra,
Aut quae desertis habitans in vallibus Echo
Parthenidis famam ignorent, atque inclyta facta?
A primis et ego suevi pueriliter annis
Hanc colere ante omnes, et parva huic munera ferre:
Hunc tantum haud noram vos inter qui viget usus.
Sed novisse juvat; patriosque revisere fines
Si misero annuerint superi, collesque beatos,
Hunc morem instituam, et quoties caput efferet arvis
Florifer omnigenos effundens Majus odores
Parthenidi toties sollemnia sacra novabo.
Mel. Quin age, et hinc placitum, Corydon, mecum incipe morem.

Incipe Parthenidis modo tollere carmine laudes,
Quandoquidem dulci invitat nos murmure rivus,
Et praebet quercus patulas cantantibus umbras.
Cor. En adsum: voces cantu modo flectere suetus
Incipias, Meliboee, prior: tua carmina nostras
Iam pridem resides acuent ad carmina musas.
Mel. Incipiam: modo cantanti mihi Parthenis adsit.
Irrigui fontes, et qui per gramina serpis,
Rivule, Parthenidem canimus. Dum cantibus illam
Tollimus, undarum quaeso compescite murmur.
Cor. Aurae, quae circum strepitis plaudentibus alis,
Carmina Parthenidi sacramus, versibus illam
Dum colimus, vestros quaeso cohibete susurros.
Mel. Qualis puniceis invecta aurora quadrigis
Exoritur, camposque et prata virentia late
Mane novo roris caelesti munere ditat,
Talis virgineo prodit se Parthenis ore.
Col. Qualis fulgenti vectus super aethera curru
Auricomus Titan ridenti in luce coruscat,
Purpureoque imas convestit lumine terras,
Talis virgineae resplendet gratia frontis.
Mel. Vicinis redolet myrtus gratissima in hortis;
Majores sed Virgo Parens diffundit odores.
Cor. Suave rubet laetis rosa formosissima campis,
Suavius at Virgo suffunditur ora rubore.
Mel. Dulce sonant grato labentes murmure fontes;
Dulcius at resonant nobis tua nomina, Virgo.
Cor. Dulce sonant quas ingeminat Philomela querelas;
Dulcius at laudes mulcent mihi Virginis aures.
Mel. Laeta rosas Jericus, Sion dat clara cupressus,
Jactant proceras Libani juga frondea cedros:
Lilia Virgo cupit: cupiet dum lilia Virgo,
Despiciamque rosas, et odoro cortice cedros.
Cor. Sublimes Reges turres, laqueataque cives
Auro tecta colunt, miratur marmora vulgus:
Parthenidi dum simplicitas, et rura placebunt,
Despiciam regum turres, laqueataque tecta.
Mel. Carpite certatim pecudes laetissima campi
Gramina: dum rura haec defendet Parthenis, herbae

Nec vobis, nec deficiet lac mollibus agnis.
Cor. Pastores gaudete: polo dum Parthenis alto
Vos bona defendet, scabies non dira nocebit,
Nec rabidus teneris lupus insidiabitur agnis.
Mel. Desine plura, puer, jam se demergit in undis
Phoebus, et obscuro consurgit vesper olympo.
Ad caulas pecudes saturas jam ducere tempus;
Cras quoque, ni refugis, tete arboris hujus ad umbram
Exspecto: plura heic fors et meliora canemus.

ECLOGA II.

IN FESTO S. ALOISII DIE.

CORYDON, TITYRUS.

Cor. Tityre, quid patrii celeres Anienis ad undas
Lentus agis, nec sublimes adscendere ad arces
Tiburis ulla movet te cura, ut visere pompam
Tu quoque in urbe velis, qua splendent Daphnidis arae?
Quid segnis tumulo ex isto, dum gramina tondent,
Cernis oves, viridique moraris in aggere ripae?
Tit. Immeritum dictis, Corydon, me carpis amaris,
Segnitiemque mihi temere objicis. Ipse superno,
Ipse puer Daphnis qui me despectat olympo,
Novit quam multo ardebat mihi pectus amore,
Ut possem tutas alio custode per herbas
Linquere oves, urbemque adscendere, Daphnidis aras,
Magnaque visurus sacrae spectacula pompae:
Sed vetuit precibus non exorabilis ullis
Dura parens; dixitque, puer, cave, Tiburis arces
Adscendas; cave te populo immiscere frequenti

Sic temere; nolo te in tanta pericula mitti:
Quid faceres, Corydon, talis tibi si quoque mater
Esset, et ex hoc te campo discedere nollet?
Cor. Non ego te arguerim servantem jussa parentis,
Nec matrem nato quaecunque adversa timentem.
Verum age, quandoquidem meritos tibi reddere honores
Divino haud licuit juveni; nec fervida cordis
Ardentis, dextra sacras revolutus ad aras
Lilia protendens, potuisti expromere vota;
Illius egregios mores, atque inclyta facta
Ne saltem pigeat dulcis modulamine cantus
Tollere, et e collo pendentem inflare cicutam.
Tit. En ultro incipiam, tu deinde sequare; canamus,
Si placet, alternis: cupiunt alterna Camoenae.
Quamvis stellantis teneat jam limina caeli,
Daphnis, et aeterni saturetur nectaris haustu;
Ille tamen nostro celebrari carmine gaudet.
Cor. Quamvis siderei sedeat jam vertice olympi
Daphnis, et ambrosiae roseo bibat ore liquores,
Pastorum curas oculis tamen adspicit aequis.
Tit. O mihi si caelo tantum delapsus adesset
Daphnis, ut ardentis recrearer lumine vultus!
Cor. O mihi si volucri liceat super aethera curru
Scandere, ut augustae contempler frontis honores!
Tit. Ante oculos juvenem, quum me sopor altus haberet,
Ipse ego conspexi, bene olenti candida fronde
Lilia gestantem, niveaque in veste nitentem.
Cor. Vidi ego, dum prima captarem nocte quietem,
Purpurea juvenem praecinctum veste, coronam
Gestare, atque novam dextra protendere palmam.
Tit. Pallentes violae surgunt per opaca locorum,
Et rosa Pestanis gaudet concrescere in hortis.
Lilia Daphnis amat: dum lilia Daphnis amabit,
Despiciam violas, biferique rosaria Pesti.
Cor. Moenia magnifici gaudent sublimia cives
Incolere, et celsis surgentes turribus urbes.
Daphnis amat silvas: dum silvas Daphnis amabit,
Despiciam turres, et celsas moenibus urbes.

Tit. Si bonus hos campos defendet Daphnis ab alto
Aethere, quis possit timuisse mapalibus ignes?
Non illum ignis edax est ausus tangere, somnum
Dum capit, et stramen flamma crepitante cremaret.
Cor. Quis timeat campis, adsit modo Daphnis, aquarum
Diluviem, nimio quum crescit flumen ab imbre?
Illum inter fluctus lapsum, famulantibus undis
Incolumem flava exposuit Ticinus arena.
Tit. Ne seges eludat messem fallacibus herbis;
Magna sed in magno veniat tritura calore
Tu facies, vacuas reples qui frugibus arcas.
Cor. Tu qui testa oleo facis ut crescente redundet,
Flatus ventorum tumidos cohibebis et imbres,
Ne baccae viridis putrescant semper olivae.
Tit. Desine: jam Phoebus medio successit olympo
Igneus, et querulae rumpunt nemora alta cicadae.
Arent prata, caput lassoque papavera collo
Demisere: umbras pecori jam quaerere tempus.

ECLOGA III.

PARTHENIS.

Partheniae Musae, quae fortunata tenetis
Arva Palestinae, dulces quando ordine laudes
Dicere Jessaeae et sublimia facta puellae
Suadet amor, faciles precor adspirate canenti,
Et dignum tanta concedite Virgine carmen.
Tuque adeo, ante omnes summus quam diligit unam
Rex superum, trepidum tanto sub pondere vatem
Alma regas, pedibusque adsis, o Diva, secundis,
Inter Idumaeos quis nescit Pastor Amyntam?
Parthenidis casto flagrantem pectus amore,
Et doctum calamis deducere carmina Amyntam?

Saepe illum patrios mulcentem cantibus agros,
Parthenidemque cavas rupes resonare docentem
Audivere olim Lycidas et pulcher Jolas,
Ducebant ut forte pecus Jordanis ad undas.
Dumque novis vacuas implet concentibus auras
Coniferae nutant silvae, sua flamina venti
Compescunt, liquidas pecus obliviscitur undas.
Nam canit, ut, dulces quum nondum luminis auras
Parthenis hausisset, nondumque immania brutae
Pondera telluris librasset in aere mundi
Conditor, ex nihilo lucem, solemque creanti
Haereret tamen illa Deo, et componeret orbem.
Ipse Deus maria et terras caelumque profundum,
Sidereasque faces et clari lumina solis
Educens, oculos gaudens figebat in illa.
Tum memorat comitata choris ut mille per auras
Aligerum formosa anima ad nova munia vitae
Venerit, et purae in ventrem se immiserit Annae
Purior ipsa: hominum fortunatissima quando
Communem labem, et colubri fatale venenum
Vitavit, stygiique ausus compescuit hostis.
Nascere Diva, tuoque aegris mortalibus ortu
Affer opem, culpas et primae dilue matris.
Te tellus cupit impatiens; tibi ab ubere fructus
Submittitque sinu, et laetos effundit odores;
Adventuque tuo laetantur et aequora ponti,
Et nemora et fontes, et pictis nubibus aër.
His addit, vix tres hiemes divina puella
Permensa ut patriamque domum veteresque penates
Liquerit, et dulci capta immortalis amore
Numinis ad templi sese devoverit aras,
Virgineum nullo non servatura pudorem
Tempore, contactusque omnes osura viriles.
Tum plectro graviore sonans connubia sancti
Numinis aggreditur immortalesque Hymenaeos,
Virgineique uteri pondus mirabile narrat:
Utque novem postquam Phoebe reparaverat orbes
Divinos tandem partus (mirabile dictu)
Ediderit, positusque Infans sub rupe jaceret,
Mollibus haud fotus cunis, sed frigore saevo,

Sed gelida ventorum anima pulsatus et imbre.
Hinc memorat lacrimas, atque alte vulnus adactum
Parthenidi, primum octava sub luce cruorem
Quum vidit nati; consolaturque dolentem,
In templo Senior, quum fatis ora futuris
Solvit: seu rediens sacris quum forte peractis
E templo, amissum natum non repperit usquam;
Et relegens iter omne, et longo fessa labore
Nequicquam voces ad sidera jactat inanes.
Ceu quum dilecta viduatur compare turtur,
Aut qualis celsa queritur Philomela sub alno,
Durus ubi implumem nido detraxit arator
Progeniem: non illa petit jam pabula nota,
Non gelidos curat fontes, sed robore celso
Moesta sedens longis implet nemora alta querelis.
Sed non hic lacrimis finis: majora dolenti
Vulneraque et luctus restant in funere Nati.
Jamque refert concussa gravi, non victa dolore
Prolem ad supplicium ut mater comitatur euntem,
Dilectam mater prolem: ut videt ipsa gementem,
Lapsantemque gravi Natum sub pondere trunci;
Viribus atque impar oneri succedere vellet.
Crudelis frustra conanti plurima miles
Increpitat genitrici, et longa summovet hasta.
Heu quid agis miseranda Parens? quid moesta dolentem
Prosequeris Natum celsi ad crudelia montis
Culmina? Qui poteris tantum perferre dolorem?
Perdit te miseram pietas tua. Perfida clavos
Turba parat: sonuere ictus, moribundaque Nati
(Heu pietas!) duro pendent e robore membra.
Jamque ipsas tangit rupes quoque funus acerbum,
Illius et mortem deplorant saxa: dolorem
Testaturque suum tellus magno excita motu,
Nigrantique comas obnubens Phoebus amictu.
Ah mater, jam non mater! quid vulnera nati
Conspicis, exanimosque sinu complecteris artus!
Vos matrum pia turba, hinc vos abducite matrem,
Ne vitam dolor abrumpat, mortemque sub ipsam
Dilaceret materna atrox praecordia luctus.
Tum lacrimis cessans, meliori et carmine adorsus

Parthenidis laetus memorat nova gaudia, quum mox
Ante oculos stantem claraque in veste nitentem
Ipsa suam prolem videt, et notum decus oris
Conspicit, et ductos audit de morte triumphos.
Quid flammas flammis, adjectosque ignibus ignes
Commemorem, quando caeli de parte serena
Cum sonitu illabens orantem Spiritus illam
Afflavit, totumque replevit numine pectus?
Jamque novum molitus iter ridentis olympi
Caelestes aperit valvas, vectamque per auras
Parthenidem claro deducit in aethera curru.
Nec silet, ut gemmis claroque educta pyropo
Moenia, chrysolithûmque urbem splendore coruscam
Intranti, superûm chorus adsurrexit omnis;
Utque illam caelestis Amor, Natusque, Paterque,
Sidereo in solio, regnique in parte locarint,
Unde homines, terrasque imas, pelagusque profundum
Ardua, despectatque ipsos supera alta tenentes.
Quae dum cuncta canit, cursus compescit aquarum
Jordanes, tacet aura, silent nemora avia, et alte
Restituunt vocem cautes rupesque propinquae.

Bucolicorum Finis.

JESU · CHRISTO

SOSPITATORI

DEIPARÆ · QUE · VIRGINI

VARIORUM ELEGIAE

ELEGIACORUM LIBER I.

JO. JOVIANI PONTANI

AD CHRISTUM REDEMPTOREM

Annua jam redeunt patriis sollennia sacris,
Et sanctum referunt tempora certa diem.
Luce bona simul et pueri, innuptaeque puellae,
Et simul assidua foemina virque prece,
Sollennes celebrate aras, atque ore favete,
Omnia et aeterno sint operata Deo.
Prodeat in Tyria spectandus veste sacerdos,
Et chorus ornatas prodeat ante fores,
Velatique comas, albenti et tempora lino
Decantent laudes, maxime Christe, tuas.
Te sors dura hominum generis, te cura laborum,
Immitem subiit mortis obire vicem.
Dum trunco affixus, cuneo et trajectus aheno,
Sensisti geminum vulnus utraque manu.
Sensisti fixas ferrato stipite plantas,
Horruit et capiti spina cruenta tuo,
Et cava mortiferum senserunt ilia ferrum,
Vulnere manavit lympha merumque tuo.
Quumque sitim cuperes nostra sedare salute,
Torpuit arenti fellis in ore sapor;
Atque inter geminos crudeli sorte latrones
Judeae pateris jurgia saevitiae.
Donec defesso decedens spiritus ore
Clamavit, quid me deseris alme Pater?
Hinc manes, Stygiosque lacus, loca terra silentum,
Infernique subis limina dura fori.
Inde pias animas, et coelo digna secutas
Eximis, et superum munera ad alta vocas.
Tertia lux aderat, roseo quum laetus Eoo
Surgis, mox victor sidera clara petis.

Consortemque capis patrio cum Numine curam,
    Dextra tenens, dextro conspicuusque loco.
Hunc igitur precibusque piis studioque fideli
    Placemus, nostro det veniam sceleri:
Det pacem; mala cuncta procul, morbosque famemque
    Pellat, et hostiles det superare manus.

DE CHRISTO.

Quod varios pelagi casus, coelique procellas
    Exsuperas, nanti quod data terra tibi est,
Oceanique minas, et saeva pericula vincis,
    Ac sospes patrio redderis Eridano;
Haec Pari non ars ipsa hominum, aut sollertia praestat,
    Non labor; at summi cura paterna Dei.
Quantula enim nostra est industria? cede periclis,
    Cede mari, Christi ni pia dextra juvet.
Ille regit nostros cursus, auramque ministrat,
    Sollicitaeque offert littora tuta rati.
Quare age thure pio, flammisque liquentibus aras
    Ipse adole, et plena fumet acerra manu.
Adstet conspicuus Tyrrhena in veste sacerdos,
    Et peragat patriis mystica sacra modis.
Pax homini, tibi Christe decus, tibi gloria soli,
    Vera Dei proles, verus et ipse Deus.
Te colimus, tibi divinos largimur honores.
    Et nomen felix ducimus esse tuum.
Tu casus, tu damna levas, tibi munera terrae,
    Et tibi se fontes, se tibi debet aqua.
His igitur placare Deum, superosque memento,
    Et tua cum pura solvere vota prece.
Nil auro Divis opus est, sed mente fideque,
    Haec nos una homini copulat, illa Deo.

TITI STROZAE.

JESU CHRISTI DEI OPTIMI MAXIMI.

GENETHLIACON.

O nimium felix, vereque beata, nec ulli
    Pro meritis digno nox celebranda sono!
Venturae quae mox aurorae praescia, quod fas
    Credere, tentasti lucis habere vicem
Ne tantam audires, coram sed ut ipsa videres
    Virgineos partus, angelicosqne choros.
Sed licet abfueris, inter praesepia nasci
    Cum magnus voluit Rex veniente die;
Admiranda tamen coeli mysteria, totque
    Gaudia credibile est nota fuisse tibi.
Lucifer astrorum fortunatissime, qui dum
    Caetera jam pulsa sidera nocte fugas,
In statione manens quidquid gereretur olympo,
    Novisti, et terrae gloria quanta foret.
Testis es, humanos Deus ut sibi sumserit artus,
    Sed non mortali semine factus homo,
Et genibus positis asinumque bovemque repente
    Ante sacros Domini procubuisse pedes.
Tu quoque pastorum felix manus, aethere ab alto
    Quaerere jussa humilis culmina parva casae.
Matribus o Genetrix multum praelata beatis,
    Atque parem nulla parte habitura tibi:
Quis tibi digna dabit pro tali munera partu?
    Quis referat mentis gaudia magna tuae?
Vix sacer in lucem completis venerat Infans
    Mensibus; arrisit Virgo beata tibi.

At tu labe carens, supplex, expersque doloris,
Continuo partus es venerata tuos,
Et tibi, quo fatis praesentibus orta volente es:
Lactandum omnipotens se dedit, alma, Puer,
Tum veneranda gerens canentem ad pectora barbam
Secum animo voluit quae videt acta senex,
Divinique memor monitus te laetus adorat,
Poplitibus flexis, progeniemque tuam;
Et parcente manu teneros avidissimus artus
Tangit, neve aliqua possit obesse cavet.
Quis dubitet libasse illi mille oscula? nec se
Dulcibus a lacrymis abstinuisse senem?
Non hic Attalicis opibus fulgebat, et ostro,
Sublimis Pario marmore nisa domus:
Non auro paries gemmisque nitebat Eois;
Non Arabi thalamus plenus odoris erat:
Non ullum mensae argentum, non stragula mollem
Velabant Phrigio picta labore thorum.
Juncus, et adgestae filices, et canna palustris,
Felicis tuguri nobile tegmen erant.
Rara sed et vento textura patebat, et imbri;
Claudebat totum flexile vimen opus;
At putris limi tunica circumdata sepes,
Ponere jam veteres ceperat exuvias.
Et crebras, oculis spectandum pervia, rimas
Fecerat, hirsuto non satis apta gregi.
Omnis inhaerebat paucis, rudibusque columnis,
Quas faber haud multa finxerat arte, casa.
Angulus haud ingens, rigidi quo straminis hospes
Fasciculos paucos accumularat, erat.
Hoc cibus, et lectus pecori fuit: hoc tibi Virgo,
Substravit senior, composuitque thorum.
Talibus in plumis coeli regina quievit;
Nec tamen inde procul bos, et asellus erant.
Hunc sibi nascenti rerumque, hominumque creator
Contemptis opibus legerat ipse locum;
Ut sacram expleret regio Bethlemica sortem,
Fatidicis vatum nobilitata modis.
Dumque simul studiis ingentibus ordine certo;
Factori adsistunt cuncta elementa suo;

Purpurei veris tepidos aequasse calores,
    Hibernum solem, credere velle, pium est.
Scilicet immiti ne frigore (namque ibi nullus
    Ignis erat) puero saeva noceret hiems.
Quem Dea dum pannis involveret, omnibus illa
    Facta est apricis gratior ora locis.
Credibile est volucres, ea dum mirantur ab alto,
    Alarum celerem sustinuisse fugam:
Vicinasque truci sedata protinus ira
    Spectasse attonitas tot pia facta feras.
Parva quidem. Stella praeeunte, mapalia Reges
    Aeterni jussu tunc adiere patris.
Atque sacrum oblato venerati munere Numen,
    Mutati facies obstupuere suas.
Quos vitare mali sedes Herodis iniquas,
    Jussere ex alto somnia missa polo.
In patriam laetos eadem quos stella reduxit,
    Atque alia tellus Iuda petita via est.
Barbare, quid tunc tot puerorum millia ferro
    Occidi, hunc unum dum petis ipse jubes?
An quia pro nostro mortalia crimine membra
    Induit, et coeli venit ab arce sui,
Creditur esse Deo minor, ut violabilis ulli,
    Sponte sua terris donec abire velit?
Hic aliquid majus, quam quod mortalibus ullis
    Contigit, adsumtum jam semel, intus habet.
Intus habet, quod non sit dimissurus, et idem
    Spiritus in Nato permanet atque Patre.
Non puer hic gazisque tuis, regnoque potiri
    Vi cupit, inque tuum non parat arma caput.
Hunc majora manent: ubi fundamenta salutis
    Iecerit humanae, crimina nostra luet:
Atque docebit, uti purgata labe renasci
    Possit homo, et sancta faeda lavabit aqua,
Inde novae gentes alios condiscere mores
    Admonitae incipient, et meliora sequi.
Prisca superstitio, simulacraque vana Deorum,
    Hoc duce, firmata relligione cadent,
Sponte sua post haec se tristibus offeret aris
    Victima sacrilega percutienda manu.

Fulgida sidereis ardebunt lumina flammis :
    Adspectum nec qui perferat hujus, erit.
Excusso manibus remo, cymbaque relicta,
    Diffugiet pavidus per vada nigra Charon.
Pandentur foribus pallentia regna revulsis,
    Praecipitem rapient agmina dira fugam.
Tartareis trepidans immania guttura custos
    Claudet, et extendet grandia membra solo.
Herculeaeque aliquid pejus quam verbera clavae
    Formidabit : atrox concidet ille furor.
Nec minus extremo comitata sororibus antro
    Occulet anguigerum torva Megaera caput.
At sontes poenis laceratae immitibus umbrae,
    Quas dirum exagitat mente tremante nefas,
Ut procul adspicient venientem in luce corusca,
    Pulsabit justus noxia corda pavor.
Et tenebris abdi cupient : sed abire vetabunt
    Dura catenarum vincla jubente Deo.
Praecipitis nec non ima de sede barathri
    Horrendum Pluto proferet ipse caput.
Et procul insolitae miratus lumina lucis,
    Agnoscent Domini territus ora sui;
Quem non ignorans, Erebi de carcere tetro,
    Ducturum sanctos ad pia regna Patres,
Saucius attonitam fremet acri vulnere mentem,
    Obvius audebit nec tamen ire Duci.
Expectata piis igitur cum venerit hora,
    Secum Rex hilares ire jubebit avos:
Et citius dicto, comitum stipante suorum
    Agmine, se recta tollet ad astra via.
Quod si non magnis componere maxima rebus,
    Atque humana sacris aequiparare licet;
Laetitiam coeli talem fore credere fas est,
    Cum steterit magnum Filius ante Patrem :
Qualem, cum domito referebat ab orbe triumphos,
    Urbem, Roma, tuam concelebrasse ferunt:
Ausus es huic igitur puero, crudelis Apella,
    Non una indignam fraude parare necem?
Tune Redemptorem (nisi malles perfidus esse)
    Tentasti infanda tollere morte tuum?

Qui vitae quaesitor erit, poenaque nocentes
    Adficiet, justis praemia digna dabit?
Talia moliri sed quis mirabitur ausum,
    Qui fuerit nati pestis acerba sui;
At tu sancta dies, coelo quae mitteris alto,
    Adventuque refers annua festa tuo;
Hercule cum natis, et fratre, et conjuge cara
    Sospitibus, nobis candida saepe redi.

HIERONYMI VIDAE.

JESU CHRISTO.

OPT. MAX.

Et solus late locus est, et fletibus aptus,
Et rediit, qua non moestior ulla, dies.
Ipsi etiam montes, densae hac in rupe cupressi,
Ipsae etiam quaerulo vertice flere jubent.
Tunc etiam silices durum sensere dolorem,
Et rupti ingenti dissiluere sono.
Tunc etiam sed jam erumpit mihi pectore fletus,
Et lacrimas oculi fluminis instar agunt.
Flere juvet saltem, lacrimisque explere dolorem,
Quando aliud nil est quod tibi persolvam:
Mutua nec satis est, vitamque rependere vitae,
O qui nostra tuo funere damna levas.
Nos Patris aeterni nostra irritavimus iras
Fraude, cruore tuo tu probra nostra lavas.
Nos dulces vetita decerpsimus arbore foetus,
Distentus dira tu trabe furta luis.
O nimium nostros nimium miserate labores,
O nostri nimium, nil memor ipse tui.
Non genus humanum, non mundi machina tanti,
Non tanto merces digna labore fuit.
Scilicet aeterni Proles aeterna Parentis
Factus homo, sontes ne moriamur obis?
Quem Pater ipse sui, sine origine, concipit instar,
Dum sese aeterno cogitat usque animo.
Me miserum, quae te pietas, pulcherrime rerum,
Tam nova, qui quaeso, tam novus egit amor?

Ah sat erat te sidereis de sedibus actum
    Taedia virginei longa tulisse uteri,
Aut hinc mortales eductum in luminis auras,
    Cum pecore, agresti delituisse casa,
Inde vagum huc illuc nostros adiisse labores,
    Dum mundum ad leges et nova jura vocas:
Neve ignominias memorem, aut quae plurima inultus
    Passus es indigno corpore ludibria,
Hei mihi non avibusve ferisve cubilia desunt,
    At rerum Auctori desit ubique locus.
Sola fuit tibi quae nodosis roboribus crux
    Heu nimium durum praebuit hospitium.
Haec fuerat servis poena olim, haec furibus aequa,
    Quos tecum cerno mortem obiisse parem.
Quae tam dira manus? quae nam tam barbara porro
    Gens, tantum obtusis sensibus ausa nefas?
Quo ruitis miseri? qui tantus mentibus error
    Insidet? in vestrum tenditis exitium.
Me potius, meme qui feci hoc perdite ligno.
    Hic nihil admisit: fraus mea, furta mea.
Tene ita cum duris pendere latronibus, omnis
    Vitae cursus cui sine labe fuit?
Qui neque contactu intemeratae virginis alui
    Contraxti antiquae signa luenda notae.
Sed Genitrix pura coeli concepit ab aura,
    Nec potuit facies dissimulare genus.
Ut sileam benefacta, tot et miracula rerum,
    Quae non humana perficiuntur ope,
Insigni poteras forma, et juvenilibus annis
    Immissae pectus reddere molle ferae.
Pulcher luce magis, vel sidere matutino,
    Oceanus liquidis quod modo lavit aquis.
Sed quem hic te aspicio? haec facies tuane illa serena?
    Hinc oculi? hic roseo gratus in ore color?
Aureane haec menti lanugo? hoc verticis aurum
    Propexum? hic toto corpore priscus honos?
Qua modo cumque ibas, blandi nova semina amoris
    Jactabas, dulci in ore sedebat amor.
Huncne ego conspicio te formosissime rerum?
    Heu color, heu species quam tua facta alia!

Squalidula ut facis, ut lassula lumina livent.
Languidula ut cervix, mortua ut ora jacent.
Non ea caesaries, concretaque sanguine barba,
Non est is plane qui modo vultus erat.
Serta tamen capiti, regisque insignia cerno,
Sed quae vulnificis sentibus hirta rigent.
Et pictum video corpus juvenile rubore,
Sed quem haustus flagris sparsit ubique cruor.
Ne palmas morer; aut terebratas cuspide plantas,
Hei mihi, quam latum pectore vulnus hiat?
Quod tulit aes, quae nam hasta tuo intepuisse cruore?
Nec tum aes delicuit? nec fuit hasta cinis?
Cum sol ipse caput nitidum abditus obscurarit,
Et vasto tellus sit tremefacta sinu?
Debueras sol aeterna ferrugine coelum
Occulere, et terris usque negare diem.
Debueras tellus aeterno percita motu
Collabi, humano haud ultra adeunda pede.
At vos monstriferi quid tunc o barbara ponti
Condita desertis, aequora littoribus?
Quae vos quae tenuere morae? quibus abdita claustris
Hic nulla effusis signa dedistis aquis?
Vos tum diluvio mersas absumere terras
Aequum erat, atque hominum fluctu abolere genus.
Nam quid enim coelum, atque ultores aetheris ignes
Flebilibus precer hic in mea vota modis,
Cum Pater et coeli, rapidi moderator et ignis,
Qui poterat flammis omnia diluere,
Ipse suum Gnatum pro nobis jusserit ultro
Supplicium infandae morte subire trabis?
Agnus eras sacer ille, sacram mactandus ad aram
Pro nobis aeterno hostia sacra Patri.
Fixum erat id coelo, nulla pote mole moveri:
Nil sol, nil tellus, nil maria alta juvent.
Tu quoque te nostrae es largitus sponte saluti,
Et tibi pro cunctis dulce obiisse fuit.
Atque ideo orabas moriens veniam hostibus ipsis,
Ne foret hoc ulli munus inane tuum.
Hoc quoque nos fruimur, grato sed amore dolemus,
Et memores tumulo solvimus exequias.

Tu tamen exutus, quae morti obnoxia, vivo
Sedibus aethereis corpore sceptra tenes:
Venturus nostras extremo tempore noxas
Quaesitum, cum res funditus igne ruent:
Aspice nunc bonus, et dignos nos effice quos tunc
Exemptos poenis in tua regna vehas.

M. PUBLII FONTANAE

DE NATIVITATE JESU CHRISTI.

Virgineo teritur, miseros quae prima parentes
Elusit serpens, nunc pede pressa solo.
E coelo effusis immani pondere nimbis,
Constructa ex Arca pura Columba volat.
Abram Aegyptiacas felix descendit in oras,
Numinis admonitus, consiliumque sequens.
Parvus Joesphus patrio spoliatus amictu,
Invidia fratrum mittitur in foveam.
Spes matris Moses vagitu exponitur undis,
Fiscella exceptus scirpea; et inde natat.
Emicat igne procul frondenti ex arbore, vires
Oblita urentes flamma corusca suas.
Quod prius e coelo mixto cum rore cadebat,
Auro manna cibus conditur angelicus.
Mittitur in Marath lignum, ingustabile flumen;
Quo mutat latices Doris amara suos.
Finibus e Canaam praegrandem in vecte racemum
Impubes pressi pondere terga ferunt.
Virga Sacerdotis summi florescit Aaron:
Floret Jessaeo Virga oriunda Sene.
Nunc ducis egregii firmatur spes Gedeonis:
Nocturnus vellus ros cadit in niveum.
In mare fluctisonum excitus jactatur Jonas:
Aequora se ponunt exagitata Noto.
Objicitur Daniel infensa ante ora leonum;
Quem rabie haud audent, nec lacerare fame.
Magna mole ruens nunc se demittit ab alto
Monte silex; statuam, et conterit aere gravem.

Exortus terras de semine terret Juda
Prae longo excussus membra sopore leo.
Ante oculos positum vellus jam jam amoveatur;
Et caecae noctis nubila tetra cadant.
Expectata diu surgit lux aurea mundo;
Orbatis profert flammiferumque jubar.
Nubibus excussis nunc magni sidus Jacob
Nascitur; et rutilans astra minora premit.
Umbra vetus cedit, variis quae lumina nostra
Lusit imaginibus: numine Christus adest.
Jam veteri haud culpanda situ, labisque malignae
Expers sola parit Virgo Deum, atque hominem.
Filius ille Dei aeternus; Patris ille superni
Sermo; qui rebus jussit adesse modum;
Divino haud reserans intactae Virginis ortu
Claustra pudica: gemit nunc puer in paleis.
Miratur stabulum angustum; mirantur et ipsi
Noscentes Dominum bos asinusque suum.
Et stellae, et gemino suffultum cardine coelum
Obstupet, et tellus nobilitata Deo.
O pietas, o magna Dei dilectio! Servi
Ob noxam Dominus venit ab arce poli.
Dant superum choreae concentus agmine denso;
Stant venti aeolii; mobilis aura silet.
Empyreo solio, laetumque per aera tantum
Excelsis canitur gloria magna modis.
Et nox insolito multum irradiata nitore,
Fixa pedes, miros concipit aure sonos.
Laetitia exultans, atque inculpata voluptas
Exercent choreas, unanimesque volant.
Applaudunt laeti facies cantusque, chorique,
Rectus amor, decori gratia juncta manus.
Hos inter medios residens concordia, plausus
Accendit; voces ingeminantque poli.
Et passim valles resonae, et cava saxa resultant;
Balatuque implent pascua laeta greges.
Pastores moniti optati ad cunabula Regis
Monstrata accelerant, adspiciuntque locum.
Vestibuli ante aditum procumbunt ocyus omnes:
Et fundunt tacti numine voce preces.

Advelant antrum exesa sub rupe cavatum
    Frondibus, atque rudi carmine plectra movent.
Haec laeta accipiunt imis in sedibus Umbrae;
    Quique pii Patres haec fore crediderant.
Letati psallunt alternis vocibus omnes;
    Saepe veni: repetunt eripe nos tenebris.
Dat gemitus Phlegeton, Cocyti et littora plangunt,
    Undaque sulphureis pertremefacta vadis.
Corruit et solio sublapso corpore Pluton;
    Omine cui tanto concutit ossa pavor.
Mors lymphata metu properat per devia quaeque,
    Et tenet aeterna nunc sine falce manum.
O nox fausta nimis; ferrato cardine postes
    Panduntur: cunctis coeli aditusque patet.
Per genus humanum serpens, obnoxia morti
    Aeternae, sceleris tollitur illuvies.
Placatur Deus omnipotens, facilisque precando
    Redditur; et populis parcit ubique suis.
Candida Pax vultum, magnas expandit et alas,
    Queis nectit summis ima, Deumque viris.
Occurrere sibi Pietas, et Justitia, et Pax,
    Dulcia concordes oscula dantque genis.
Rorarunt coeli; nubes justumque dedere:
    Protulit et tellus germen aperta suum.
Non tacti multa stillant dulcedine montes,
    Quae Syriae valles balsama odora ferunt.
Nunc per odorati Libani alta cacumina plantae
    Decutiunt foliis roscida mella suis.
Dant virides palmae fructus; dant lilia valles;
    Spargit odoratas terra benigna rosas.
Involvunt liquidum currentia flumina nectar:
    Et bona cuncta polo nunc potiora cadunt.
Pulchra Sion quid moesta jaces? jam filia luctus
    Mitte: tuae lacrymis sat maduere genae.
Sat cinere es conspersa caput; sat mollia tristis
    Sprevisti; dum te terra aliena tenet.
Tu secus Euphratem vultum defixa moraris
    Adnumerans fluctus praetereuntis aquae.
Atque incursantes tacito sub pectore curas
    Excipis; et menti non datur ulla quies.

Fessaque nec multa clauduntur lumina nocte:
    Tot curis somno quis locus esse potest?
Arboribus suspensa manent psalteria; Nablum
    Non solitos laxis dat fidibus modulos.
Non psalmos captiva potes cantare: superba
    Dum quaerit miseram ludere te Babylon;
Sed lacrymis dulces Solymae haud oblita penates
    Saepe vocas; horrens tot mala monstra Deûm.
Non poterit Pharius bos, aut latrator Anubis,
    Ex animo, aut Belus, verum abolere Deum?
Fausta Sion, dilecta Deo, laetare: salutem
    Attulit ista dies: Rex tuus ortus adest.
Hic est, quem veterum divina oracula patrum
    Praedixere; malis gaudia magna tuis,
Quae Babylon strinxit, veniens hic vincula solvet;
    Ipse hostis duro compede vinctus erit.
Sub cujus magni venient vestigia Reges;
    Ad cujus nutum cernua regna cadent.
Sola potens magnum incedes Regina per orbem,
    Regnaque te excipient plausibus innumeris.
Intextus gemmis tot te velabit amictus,
    Quot coelo aetherio sidera clara nitent.
Quippe tuum capies aeterno e lumine solem;
    Quo tibi semper erit magnus in ore nitor.
Postque tuos gressus vestis spirabit odorem;
    Quem nec mollis Arabs, nec genuit Syria.
Natarumque chorus regum famulabitur astans;
    Qui cupiet jussus accelerare tuos.
Surge, age, rumpe moras, lacrymantia lumina terge,
    Excussa et vestis tendat ad usque pedes.
Formosum nectant stellata monilia collum:
    Et caput ornatum pulcher inauris amet.
En nunc quale decus Aurorae fulgeat ortu?
    En, roseo qualem fundat ab axe diem?
Salve vera Dei proles, decus addite terris;
    Salve iterum mundi Christe benigne salus.

FRANCISCI MACCABELLI.

DE PUERO IESU

ELEGIA.

Nam quae se objiciunt oculis spectacula nostris?
    Dulcia quae circum carmina dulce sonant?
Proh, Superi! Aerios percurrunt agmina campos,
    Agmina linteolis fulgida purpureis.
En video non visa prius nutantia coelo
    Sydera, quae insueto lumine clara micant.
Scilicet; aethereae nec nos oracula sedis
    Fallunt: haec nobis omina pacis erunt.
Haud equidem dubito: Deus haec certissima monstrat
    Signa, et pacato numine dexter adest.
Dexter adest, dulcique simul succensus amore
    Nos tandem infernas non sinit ire domos.
Certa fides: Infans summi dominator olympi
    Nascitur, ut terris aurea saecla ferat.
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
    Atque optata diu candida Relligio:
Occidit et serpens: nostros quae prima parentes
    Elusit morbis turgida lethiferis.
Ergo signa manent priscae contagia labis,
    Si nondum pulsa est vana superstitio,
Depellet Puer hic, soboles aequaeva Parenti,
    Qui coelum, et coeli lucida signa regit.
Quo nato, fera bella ruunt: fulgentior ipse
    Phoebus ab Eoo littore surgit ovans:
Flavescunt laetae brumali tempore messes;
    Et viret in gelido fertilis herba solo;

Florescunt violae, narcissus floret, et alba
    Lilia, et intonsas pandit oliva comas:
Undique pubescunt frondenti gramine ripae,
    Et fontes leni lene sonant strepitu.
Pastores mixtis texunt jam serta corymbis,
    Atque hilares plenis serta ferunt calathis.
Hinc alii ramis cingunt viridantibus antra:
    Hinc pressi lactis pocula multa parant.
Candida balat ovis, gestit lasciva capella;
    Saltat depulsis hoedus ab uberibus.
Undique responsant sylvae; late omnia rident;
    Candidulum nubes haud tegit ulla diem.
Quisquis, io plaudat, laetus pia carmina quisquis
    Cantet, seque Deo solvere vota paret.
Hoc Patris pietas poscit, qui pignora nobis
    Tanta dat, humanum ne omne genus pereat.
Hoc Nati pietas, summi qui jussa Parentis
    Accipit, aethereas pandat ut ipse fores.

VINCENTII MONTII.

DE CHRISTO NATO.

ELEGIA.

Irriguae valles, gelidaeque in vallibus umbrae,
Et blando trepidans vitrea lympha pede;
Auraque per virides spirans placidissima colles,
Antraque muscosis roscida pumicibus.
Dum tristi canos glacie concreta capillos
Tellurem immiti frigore adurit hyems;
Et fontis cursum, sinuosaque flumina sistit,
Moestaque hyperboreis arva tegit nivibus:
Dicite quis vobis luctum, brumasque rigentes
Dispulit, amissum restituitque decus.
Dicite mella cavae cur sudent dulcia quercus,
Leniter et rivis lacteus amnis eat.
Scilicet egreditur Jessaeo e stipite virga,
Magnus Idumaei virga decor Libani.
Rore fluunt coeli, demittunt nubila Justum,
Et Deus e casta Virgine natus homo est.
Sancte Puer, tune aeterno devinctus amore
Induis humani corporis exuvias?
Tune Dei soboles magnum patris incrementum
Ut posito per te, qui fuit ante, situ
Pristina naturae redeat cum foenore forma,
Tune jaces gelido squallidus in stabulo?
At tibi, qua potis est, tanto pro munere tellus
Grata pruinosas fert ubicumque rosas.

Narcissumque crocumque immortalesque amaranthos
Submittunt facili mollia prata sinu.
O utinam in tenuem mutarent me quoque florem
Numina labentis propter aquam fluvii !
Tunc me conspicuae felicem munere formae
Mulceret tacito rure beata quies.
Spernentemque Euros, et nimbosos Aquilones
Succuteret blandi penna levis Zephyri.
Tunc quoties aurora diem reseraret olympo,
Aurorae nitidis pascerer a lacrimis.
Atque apis ad flores alis adlapsa sonoris
Nectar dulce meo sugeret e calice.
Quin et vicino decurrens vertice pastor
Visurus natum sole oriente Deum,
Nocturno legeret me totum rore madentem,
Et Pueri teneros ante pedes jaceret.
Aut potius sacris fato meliore capillis
Necteret, intacto crederet aut gremio.
Me ne igitur fronti divinae insistere, cui mox
Extruet hebraeus spinea serta furor?
Me ne latus largum cui quondam vulnus hiabit,
Me ne sinus Domini tangere posse mei?
Invideant nostram fulgentia sidera sortem,
Invideant cuncti ex aethere celicolae.
Quid loquor insanus? Quid mecum suavia fingo
Somnia successus non habitura suos?
Parce precor, Puer: in niveum si fata ligustrum,
Si renuunt mollem vertere me in violam:
Ah saltem liceat frigenti in stramine nudum
Pectoris afflatu te refovere meo.
Et sexcenta tuis me figere basia labris,
Atque oculis dulces dicere blanditias.
Donec victa levi declinans lumina somno
Materno recubes molliter in gremio.

BENEDICTI ACCOLTI.

DIVÆ VIRGINI MARIÆ.

Alma Parens, summo Nati quae numine torques
Sydera, et hoc, quicquid cingitur Oceano,
Qua tibi, per dumeta, jugis consurgit Etruscis
Templum et Lunensi marmore fulget opus,
Hic tibi, depulsum ob morbum, florentia serta
Demetit, intacta Thusca Camilla manu.
Tu puram illius mentem, faciemque decoram
Esse sinas, pulchri, perpetuo effigiem.
Dum fugat exoriens tenebras pulcherrima Acanthis,
Sol ubi se in magnum condidit Oceanum,
Et lucem reddit flammantibus inclyta ocellis,
Aurorae superans ore nitente jubar;
Tum licet, imbutos pulchri fine, atque beati,
Divum fortunis omnibus affluere;
Et juvet Eois solem considere in undis,
Uberius siquidem proximus iste beat?

LUDOVICI SERGARDII.

DE CONCEPTIONE B. M. V.

ELEGIA.

Illecebris postquam vafri decepta colubri
Explevit sacram foemina prima famem,
Respicit ad truncum, diri qui poma saporis
Protulit, et vetita fertilitate necem.
Cum subito longis tabescere lumina guttis
Sentit, et ignoto rore madere genas.
Nescia adhuc proprio dicat quo nomine fletus
Flet tamen, et tepidis ora rigantur aquis.
Tergere conatur vultum: sed filia culpae
Lacryma de cordis fonte perennis erat.
Ergo ubi se tanto cognovit crimine sontem,
Miscuit et lacrymis verba dolenda suis.
Felices agri fortunatique recessus,
Et formosa oculis arva beata meis!
Dum licuit vestra, sylvae, spatiabar in umbra;
Lambebat nostras mollior aura comas.
Quaque ibam violas tellus calcata ferebat
Sponte sua, et teneris lilia mixta rosis;
At nunc horrentes dumi, coecisque latebris
Sola tenent oculos aspera saxa meos.
Quocumque aspicio labuntur ab arbore frondes,
Et viduus laeto truncus honore viget.
Si fontes lustrare placet de fontibus unda
Prosilit, et rauco murmurat illa sono;
Restabat coelum, sed coelum sidere torvo
Intentat saevas in mea damna minas.

Nam stricto propius me fulminat Aliger ense ,
Et procul a caris sedibus ire jubet.
Scilicet hoc meruit pomi scelerata cupido
Me miseram , satius quo caruisse fuit !
O utinam tunc cum decerpsit ab arbore fructus
Haesisset subito pendula dextra gelu !
Non ego divino caruissem stulta favore,
Nec quererer sobolis facta noverca meae;
Nam quod peccavi tetigit quaque culpa nepotes,
Et mea fatali crimina morte luunt.
Quodque mihi placuit virus descendit in omnes;
Et succo venas inficit usque suo.
Proh dolor ! ast coelo Genius mihi dexter aperto
Advolat, et laetos solvit ab ore sonos.
Cum formosa Deo Virgo placitura parabat
Naufragio portum taeda secunda tuo
Vera parens erit ista ; tuae non conscia culpae
Decretum mundo nec subitura jugum.
Calcatoque prius qui te deceperat angue
Virgineos lambet lingua trisulca pedes.
Illa genus saevo rapiet mortale tyranno ,
Atque aditum soboli pandet ad astra tuae.
Terge igitur lacrymas tenebris et morte fugata
Crimine parta tuo nascitur orbe Salus.
Pulchra famês pomi : frangit si culpa catenas
Et reserat coeli gaudia culpa placet.

CAROLI ROTII

DIVINO INFANTI

POETA COR SUUM D. D. D.

ELEGIA.

Non myrrham tibi, Magne Puer, non divitis auri
 Pondus, non Arabum mascula thura damus.
Talia dent Reges, quorum fortuna beata
 Divitias, aliis quas dare possit, habet.
Nudus ego tua castra sequor; nec gloria parva est,
 Si mihi te propter despiciuntur opes.
Quod si te, sensusque tuos, pulcherrime, novi,
 Plus tibi, quam Regum munera, corda placent.
Illa petis, plurisque facis, quam mascula thura,
 Quam myrrham, et flavi dona beata Tagi.
Et merito, quoniam si cor gens dura negemus,
 Caetera nil pretii, quo capiaris, habent.
Hoc equidem (nec fallo) volens tibi, Dive, sacrarem:
 Sed miser heu dira terreor illuvie.
Olli Livor edax succos aspersit amaros:
 Afflavit fumo Gloria falsa suo.
Difficilesque lavi sordes allevit habendi
 Ardor et incesto contigit igne Venus.
Tum mala desidies ter pigro in gurgite Lethes
 Mersit, et infestas addidit Ira faces.
Quin illic fodere larem Fraudesque Dolique,
 Criminaque, et Stygii caetera monstra lacus.
Hic status est, haec forma mei tristissima cordis;
 Nec quid agam, ratio, consiliumque subit.
Tu fer opem potius, qui nutu vertere cuncta
 In melius, nulla vi prohibente, potes.

Quod non effusi septena per ostia Nili
Flumen, non totis fluctibus Oceanus,
Nec gravis undanti vastis fornacibus igni
Fibris incoctum deleat Aetna nefas,
Discutis ex facili: nec quamvis dura, vocanti
Materies surdis auribus esse queat.
Quum libet, Assyrios quae potavere colores
Certarint nivibus vellera Sithoniis;
Quemque repercussum radiis plaga solis iniqui
Urit, candentem vincat honore Paron.
Mille vias nosti, per quas informia corda
Alpina fiant candidiora nive.
Injice tres Fidei radios: tres injice Amoris,
Quae vitium exurant funditus omne, faces.
Spem quoque Divinam, tenerum quae pascat Amorem,
Et sanctum, qui Spem temperet, adde Metum.
Illaque praeterea praeclari semina honesti
Adjice, proventu non caritura suo.
Hoc mihi si dederis, non tu celabere: facti
Auctor, io! venies multus in ora virum.
Ultra anni, solisque vias diceris: et a te
Nata coronatis fama vehetur equis.
Ergo age, Magne Puer, tua si te gloria tangit,
Sancta recudendum dextra laboret opus.
Scilicet hoc nolit, tecum qui praelia, Pluto,
Cumque tua semper gente superbus habet.
Sed sine tartareis illidens cornua muris
Frendeat aeterna pallidus invidia.
Fallor? an ex toto? non fallor; faeda retexi
Ex toto vitae sentio fila meae.
Sentio diffingi sensim vetus, in-que-novari
Cor mihi; contempto vita pudore vale.
Jam tristes abiere notae: jam rursus imago
Eminet artifici Patris inusta manu.
Jam vigor, et firmae serpunt in pectore vires,
Cordaque nescio quis spiritus intus agit.
Non non humanae labor est, et gloria dextrae:
Plaudite, io! Domini dextera fecit opus.

AD BEATAM VIRGINEM

IN DIE FESTO PURIFICATIONIS

Ergone vulgares inter lustranda maritas
    Virgo Palaestinae templa Sionis adis?
Parce viae: non ulla tui sunt februa partus;
    Serviat his matrum caetera turba sine.
Non tua par ratio: cupide licet omnia quaerat,
    Nil, te cur possit carpere, livor habet.
Amissos, puto, Virginitas tua quaerat honores,
    Quae magis a partu nobilitata nitet.
Muta, viden'? natura pavet, convulsaque rerum
    Miratur magno jura puerperio.
Vidit et hoc Moses, qua tempestate bidentes
    Pastum Jethraeis egerat a stabulis,
Tum quum visa viro est innoxia serpere lapsu,
    Ausa nec ardentes urere flamma rubos:
Idem etiam, ne forte putes te lege teneri,
    Cavit mirandi conscius augurii.
Semine suscepto foetis purgamina sunto;
    Sic ait, et latae formula legis habet.
Quod si forte tuos nil tangunt talia sensus,
    At certe famae consuluisse decet.
Unane multarum censeberis illa Tonantis
    Illa nec amissa Virginitate, Parens?
Quisquis et occurrat venienti, nempe notatam
    Te quoque comuni labe fuisse putet?
Ah ne te mediis immisce femina princeps
    Matribus, incoepto parce, referque pedem.

Sic ego. Sic contra respondit regia Virgo;
Dum loquitur, tenerum spargit ab ore jubar.
Nil agis: incoepto nec terreor: omnia cedunt
Vana; per has leges Mater oportet, eam.
Durius humano si judicer ore, feremus:
Laus mea sub magno Vindice tuta manet.
Viderit haec si quis, non me dispendia famae,
Dum coelo dicar grata fuisse, movent.
Neve adeo Mariam (superum modo certa voluntas)
Poeniteat totis erubuisse genis.
Nam quod mi leges Moses non dixerit ullas,
Gratum est, et facili, quo datis, aure bibo.
At puto, qui Matri leges non dixerit, idem
Sustinuit Nato dicere jura meo.
Nec minus injusso gaudens succumbere cultro
Suscipit octava non sua sacra die.
Et vaga contemnens injustae murmura famae
Magno primitias obtulit ille Patri;
Exemplumque dedit, ne quis dum numina placat,
Inspiciat solas acrius in tabulas.
Ergo quum legi, quamvis non subditus, ille
Serviat, id Matrem, stulte, decere neges?
Dixerat, et Templi foribus (dilectus Joseph
Pone subit) niveos intulit illa pedes.

AD S. SIMEONEM.

Rumpe moras, Simeon: viden'? ut lustralibus undis
Spargitur, aeternum quae tulit alma jubar?
En puer: en longum tota quod mente cupisti:
Pasce oculos, voti copia facta tui est.
Nec vidisse satis: licet in tua brachia tollas,
Praemia promissis uberiora ferens.
Fortunate Senex: post talia gaudia nempe
Non immaturum mortis adibis iter!
I felix: manesque ima tellure repostos,
Quorum spes animos longa perurit, adi.
Justus Abel, magnusque Abras, ac vulnere Jacob
Tardior, et Moses, Jessiadesque Pater;
Multaque praeterea sanctorum turba Virorum
Occurret festis excita liminibus.

—

Tum dabit amplexus; atque oscula dulcia figens
Ecqua sibi portes omina laeta? roget.
Ergo ubi discendi studio glomeretur, et arcte
Circumstet medium te pia turba Patrum,
Narres, ut coelo nuper demissus ab alto
Ille tot aetatum vota, laborque Puer.
Venerit: afflictam qui longa solvat Idumen
Compede, qui luctum tergat, agatque procul;
Qui caecam expellat noctem, qui fortia bella
Pugnet, et Isacidum nomen in astra ferat.
Quin etiam in templo, veteri quum februa more
Susciperet certo tempore magna Parens,
Hisce oculis illum venientem, dicito, vidi,
Vidi illum, amplexu continuique meo.
Libavique genas, atque oscula mollia carpsi,
Oscula per longas ingeminata moras.
Addas, et positum late fulgentibus aris,
(Audiat hoc nostri sanguinis auctor Adam)
Oblatumque Patri Infantem, ac mercede redemtum
Exigua, ut cunctis jam bene possit emi.
At tu dum medio referes haec laeta Senatu,
Laeta nec auditu cognita, quantus eris!
Laetitia, plausuque fremens pia Curia Patrum
Annuat in verbis pondus inesse tuis.
Intentusque haerens Vatum chorus, omnia penset,
Consonaque auguriis sentiat ire suis.
Atque aliquis forsan tabulis gavisus apertis
(Adstruat ut dictis pagina lecta fidem)
Edoceat, narrata sibi multo ante fuisse
Cognita, quosque legas, indicet ipse locos;
Teque recognosces, cupidisque intentus ocellis
Laetitiae releges praescia signa tuae.
Ergo age, et ad manes felicia dicta reportes;
Gratior in toto non erit umbra choro.
Interea Pario constructa e marmore moles
Surgat, honorato quae tegat ossa loco.
Absint pallentes larvae, nudisque rigentes
Ossibus, et miris tristia signa modis.
Laeta decent: tumuli super aggere sancta voluptas
Rideat, et manibus florea serta gerat.

Hanc circum volitent roseis bona Gaudia pennis,
Et Jocus, et Risus labra decenter hians.
Ipse autem laeti media sub parte sepulchri
Stabis inaurato conspiciende sinu.
Lucentes faciam vultus, lacrimasque beatum
Quae deceant, santis molliter ire genis.
Eque tuis faciam Puerum pendere lacertis
Tendentem parvas ad tua colla manus.
Iam ne forte oculos tumuli nova forma moretur,
Grandibus incidam talia verba notis:
Hic · situs · est · Simeon · causam · et · solatia · Lethi
Cui · dedit · in · terris · Publica · visa · Salus.

RAIMUNDI CUNICHII S. I.

DE PUERO JESU AD AQUILONEM

ELEGIA.

At quae te in Puerum dementia, quis furor egit,
Saeve Aquilo? o gelidâ frigidior glacie,
Quam celsâ in Rhodope, aut in nubifero Apennino
Durat hyems longis aspera frigoribus!
Num tibi, stat quoniam sic insanire, patentes
Camporum tractus, num juga, num syluae
Ingentes desunt? qua caerulea amphitrite,
Quaque pater fluctus explicat Oceanus,
Cuncta patent. Illic dignam tu nactus arenam
Conare adversis obvius ire notis,
Et fluctus propelle, altum et quaecumque per aequor
Occursant, rapido turbine frange rates;
Tum male jactatos allide ad littora nautas,
Ut lubet, aut mediis obrue gurgitibus.
Parce tamen Puero: per luctisonos vagitus
Obtestor, per suspiria, per lacrymas,
Infans turgidulis frustra quas fundit ocellis;
Jugis ut aerio liquitur a lapide,
Roscidaque adsidue, muscoque adoperta virenti
Saxa rigans laevi labitur unda pede.
Ah! satis est coecâ matris quod conditus alvo
Pertulit obscurae taedia longa morae.
Cognata satis est quod fastiditus ab urbe,
Adspectuque procul, colloquioque hominum,
Desertas pecudum sedes, atque aspera dumis
Tesqua colit, quae nix desuper alta cadens

Consternit; manansque humor de pumice raro
Concrescit longam frigidus in glaciem.
Hoc, saltem hoc, inter tot dura, atque aspera te te
Ah minus immitem sentiat ille sibi:
Seu mitem potius placidumque. Hoc, hoc age quamvis
Asper, et immani praeditus ingenio.
Pone iram, saevosque bonus dedisce furores:
Hoc fac, seu fieri non pote, sive pote.
Sed pote. Piraei portus, vicinaque portu
Testis erit primarum urbs genitrix segetum.
Illic nativumque ferunt mollisse rigorem,
Atque tuas olim te posuisse minas,
Quum Pandioniae gliscens amor Orithyae
In vestra ardentes impulit ossa faces.
Ut tibi tunc imas pervasit flamma medullas!
Ut mitem e saevo reddidit, et placidum!
Nam neque tam verni genitabilis aura Favoni
Leniter umbrosis ludit in arboribus;
Nec Zephyrus tam leni almam Titanida flatu
Antevolat, quam te tum dominae in foribus
Vix strepere adsuetae perhibent connubia frustra
Orantem blandis non sine lacrymulis.
Tene igitur flexit formosa puella, Tonante
Editus hic durum sentiet usque Puer?
Pulchrior hic multo, et mage dignus amari est.
Quae geminis certant lumina syderibus
Aspice, lacteolasque genas, et eburnea colla,
Pectoraque intactas vincere nata nives;
Quique nitor sanctis pellucens undique membris
Coeleste ignotum non sinit esse genus.
Ut quamquam in nimbos lucis pater aethereus sol
Vultumque, et currus abdidit igniferos,
Attamen obscurâ frustra in caligine se se
Occultans densis involüit tenebris;
Namque comas piceo, diamque obnubit amictu
Dum faciem, ipse suis proditur a radiis,
Qui sese offusis e nubibus erumpentes
Spectantúm incurrunt denique luminibus.
Parce, ferox: nescis tua quem dementia contra
Arma ferat, nescis quod facinus facias.

Auctorem laedis rerum, coelique potentem,
(Nec tremis admissi conscius?) e nihilo
Qui coelum, terramque olim, camposque liquentes
Undarum nutu condidit omnifero;
Astriferumque orbem stellis fulgentibus ornat,
Astrorum et varias temperat usque vices.
Quem saepe ignifero percurrentem aera curru,
Terrentemque alto corda hominum tonitru,
Aligerûm volitant subter mille agmina, mille
Post subeunt, totidemque antevolant acies,
Et regis nutum observant, et jussa capessunt,
Sive urbes fundo vertere sacrilegas,
Seu pestem populis, bellumque immittere jussit,
Miscere et subitis omnia funeribus.
Ille austrum, zephyrumque, ille et te condidit idem.
Pergis et auctorem laedere, saeve, tuum?
Ille velit, potis est damnatum carcere coeco
Te penitus rupes abdere in aeolias,
Et potis est durâ vel te vincire catenâ,
Vel procul arentes pellere in Aethyopas,
Nusquam ubi, queis aleris, queis gaudes, frigora nusquam
Aut glaciem, aut patrias jam tibi, dure, nives
Cernere erit, sed quos vicinâ lampade semper
Torret, ed assidue Phoebus hiulcat agros:
Regnat ubi semper, luditque tepentibus alis
Illa tibi invisi scilicet aura noti.
Haec Puer, et maiora potest; teque improbe, quavis
Perdere, vel quovis excruciare modo.
Et faciet, pergis quoniam saevire, nec ullum
Heu, facis irarum, stultiaeque modum.
Nec te divinus durum Puer, optima nec te
Virgo movet largis fletibus uda sinum,
Muta metu, tremefacta animi, externata fragore
Horrifico, tua quem flabra cient; Puerum
Ah! dulcem Puerum tua ne mala flamina perdant
Usque timens totis anxia pectoribus.
Sed jam sive metu, dulci seu victus amore,
Seu nostrâ motus constitit ille prece,

Non antrum horrisonis resonat plaugoribus: en ut
    Vix siccae huc illuc pervolitant paleae,
Vana loquor : gravius rursum, et crudelius urgens
    Ah! miserum, ah! flentem conficit, et lacrymas
Illius et vanos questus, atque irrita nostra
    Discerpit campos dicta per aerios.

EJUSDEM CUNICHII.

DE ACERBISSIMO CHRISTI CRUCIATU, AC B. V. MATRIS MOERORE.

ELEGIA.

En iterum tristes ad fletus, flos ubi vatum
    Annua divino sacra refert tumulo,
Adsum, magna vocant quo me tua jussa, Neralce (1),
    Etsi nec versus pangere suavidicos,
Moesta nec Aoniâ praecingere tempora lauro,
    Fila nec auratae pellere nunc cytharae
Optarim; dulci sed me subducere coetu
    A comitum, et solas quolibet in latebras
Abdere, vel parvi subter fastigia tecti,
    Vel densum obscuris in nemus ilicibus,
Aerias aut in rupes, Solymeïa montis
    Quae juga de Domini caede cruenta mei
Mî referant. Illic laxarem fraena dolori,
    Atque hoc pro cantu fundere luctificos
Praestaret gemitus, mista et suspiria crebro
    Singultu: abjectumque, aegrum animi, adtonitum

(1) Nomen amplissimi Praesulis Josephi Herculani in Arcadia Principis.

Nil fari, sed perpetuo tabescere fletu:
Qualis sollicito qui lapis in Sipylo
Usque madet, lacrymas nec cessat fundere salsas,
Quem subter casu stillicidi adsiduo
Fons sonat, et rauco trepidans per scrupea saxa
Murmure nescio quam conqueritur Nioben;
Magno quam perhibent victam obriguisse dolore,
Deflentem prolis fata cruenta suae.
Illa suam flevit prolem; tabescere largis
Me juvat in Domini caede mei lacrymis.
Mî quisquam flendi tam caro in funere leges
Dicat? me ne isthaec tam fera supplicia
Cernere tam cari capitis, misere nec lamenta,
Et gemitus imis rumpere pectoribus
Moerentemque, udumque genas, luctuque furentem?
Quid Mater? qua nil dulcius esse potest:
Illa Dei, illa hominum Mater formosa priorum,
Incassum quae flet, quae gemit anxifera
Curarum sub mole. Tuus, Virgo aurea, non me,
Virgo, tuus non me vulneret iste dolor,
Possit qui chalybis duram vim frangere? non tu
Pressa tot aerumnis, non tua Progenies
Divina hunc animum luctu demergat amaro,
Exprimat his juges ex oculis lacrymas?
Atqui bruta etiam tellus concussa fragore
Ingenti, scisso moesta sinu, ingemuit;
Fluminaque ingemuere, et montes, et nemora hirta,
Littoraque, scopulique, et mare monstriferum.
Ipse etiam coelo flevit sol aureus alto
Fulgentem et claro caesariem capiti
Detraxit, lucisque almae volitantia longe
Tela dolens atram condidit in nebulam.
Haec olim: nunc multa itidem post saecla novamus
Ploratum ingentis moestitiae comitem.
Nam tamen etsi Heros magnam semel exantlavit
Ærumnam, illaque tot praeteriere mala;
Nec quidquam superest nisi laus, et praemia laudis,
Etsi jam templis victor in aethereis
Jam victor, domitâ jam clarus morte, laborum
Nec memor aeternâ vescitur ambrosia;

Et mater dulci Gnato comes inter ovantûm
Pulchra sedet laetas coelicolûm choreas;
Mens tamen haec moestis ignorat cuncta diebus:
Tempore in hoc laetum nil meminisse potest.
Illa modo series magnorum immensa dolorum,
Quotque tulit Gnatus, quotque tulit Genitrix,
Obscurat, moestâque meum caligine pectus
Opplet: cuncta ipsos nunc fieri ante oculos,
Cuncta meo penitus mî fixa in corde videntur;
Usque adeo moestis fervet imaginibus,
Horret que, aegrescitque animus, nec cernere Patris
Summi proboso in robore Progeniem
Suffixam foede, miseram nec cernere Matrem
Sustinet infandis luctibus implicitam,
Pallentemque, aegramque, informi proxima trunco
Dum stat, dum Gnato proxima stat gelidâ
Rupe super, gemitusque audit, cernitque cruorem,
Omnibus e venis qui fluit, et niveos
Irrigat exundans artus, rivoque repente
Subter humum, duros irrigat et lapides.
Nate Deo, nostri nimium memor, immemor eheu!
Ipse tui, divi siquid adhuc superest
Sanguinis, ah! cohibe: jam large fluxit, et una
Humanum potuit gutta piare genus.
Nostra salus nimio constat tibi: pone labori,
Pone modum, et vitae, lux mea, parce tuae.
Ista, velis, nil te jam crux, clavique trabales
Laedent, nil densis texta corona rubis.
Vanescet tumor hic, vanescent vulnera, nusquam
Livor erit, tua qui candida membra notat.
Membra olim puro diae quae sanguine Matris
Ipse suis formans finxit amor manibus,
Addidit et rerum formae decus. Hei mihi! quonam
Forma? tuo quonam fugit ab ore decor?
Purpureae quonam fugit flos ille juventae,
Quo lepor, et dulci dulcia melle magis
Verba, humeris densum quae vulgus nuper avebat
Excipere: ut patrias millia multa domos
Linquebant! montesque, et desertas convalles
Complebant coetu, littoraque, et scopulos

Mirantes, dulcesque epulas, et munera somni
    Obliti! formae tantus in ore lepos,
Tanta inerat vultuque, et blandis gratia verbis.
    Nunc tacitum, exsangui corpore, semianimem,
Tristi perfusum tabo, plagisque tumentem
    (Credo equidem) vix te noscere, quae genuit,
Ipsa queat, matrum, quot sunt, laetissima quondam,
    Nunc moesta, et largis uda sinum lacrymis.
Vae miserae: ut tristes exercent pectora curae,
    Infixusque alte venit ad ossa dolor!
Non secus ac duro si quis praecordia ferro
    Transadigens ipsam sedem animi rigido
Cor petat ense, secetque in partes, et ferus addat
    Usque nova inflictis vulnera vulneribus.
Scilicet hoc prisco patrum de more Puella
    Cum dulcem in templo sisteret Unigenam,
Magnus seniloquo portendit carmine vates;
    Hos matri luctus dixit; hic ille dolor,
Hic gladius, moestâ adtonitus quem mente canebat
    Ora pio fletu cana tepefaciens.
Vera, Senex, nimium tua sunt oracla; Parenti
    Trajicit en molles cura, dolorque sinus.
Illa quidem durum constanti mente laborem
    Perfert: nec flavam solvere caesariem
Conspecta est, tenuesve humeris abscindere amictus:
    Non fesso ad terram corpore semianimis
Concidit, extremo gnatorum in funere matres
    Qualia moestitiae promere signa solent:
Sed pallet. sed turgidulos non dejicit aegra
    Usquam oculis dulci a Pignore; sed gemitus
Interdum incoeptat, materni parva doloris
    Indicia, et luctus maxima pars penitus
Obscuris animi penetralibus abdita gliscit,
    Curarumque intus millia multa latent.
Quas inter medius residet, Gnatique cruentam
    Effigiem in laevo sculpsit amor latere;
Immanesque adigit procusâ cuspide clavos,
    Texit et hirsutis spinea serta rubis;
Pingit purpureum, qui defluit inde, cruorem,
    Pingit quaeque suis vulnera saeva locis,

Liventesque notas flagrorum. Exemplar imago
Jam retulit, jam se Filius, atque suas
Materno cernit poenas in corde, nitenti
Ceu totum qui se conspicit in speculo,
Atque suam agnoscit faciem, formamque, habitumque,
Et quae sit species, qui sit in ore color.
Quae prius in purâ crystallo cuncta figurant,
Dein reduces oculis insinuant radii.
Acer amor, si fas, operi jam parce cruento;
Heu Gnatum, heu Matrem perdis! imago duos
Sauciat una: procul, procul isthinc ducite Divam,
Humani sensus si quid inest animo,
Quisquis ades: fidae comites abducite Divam
Vos longe; Matrem Filius, heu! miseram
Vulnerat aspectu; maternum saucia pectus
Aspectu Gnatum vulnerat illa suo.
Ah! nobis, ah! quid fiet, si tempore in uno
Utraque deficiat vita? quod, heu! superest
Solamen fessis hoc rerum in turbine? cuinam
Linquimur? haec potui dicere, docta Cohors, (1)
Quod restat, si quis tam firmum pectore vates
Robur habet, moestis versibus expediat.
Me juvat hic tacitum largo tabescere fletu:
Odit sollicitus verba diserta dolor.

(1) Intellige de Arcadio Coetu.

ALEXANDRI FAGNOLII

AD

VIRGINEM DEIPARAM

annos post centum

a Lue Forocornelio propulsata.

ELEGIA

CAMILLO ZAMPIERIO

POETAE ELEGANTISSIMO

INSCRIPTA.

Si quidquam studio praestandum, et carmine vatum
    Usquam est, id certe ipsum esse, Camille, putem
Divorum magnas quandoque adtollere laudes.
    Et pietate eosdem prosequi, et obsequio:
Res ut, inexhausto ceu quodam fonte, secundae
    Inde fluant, et opes, et benefacta hominum.
Non etenim Deus illâ homines ratione creavit.
    Eque luto pulchram effinxit in hanc speciem
Supra omnes, et tot vitam producere in annos,
    Divinâque dedit mente, animoque frui;
Qui cum naturae latebras, atque abdita longe
    Principia, et caussas est pote multiplices,
Ac rerum motus introspicere omnigenarum,
    Seque facultatum propterea instruere

Ornatu vario, atque artîum splendore bonarum ;
Nec toties ideo ferre solent Superi
Rebus opem nostris, cum turres fulmina in altas,
Quae nostrum certe saeva caput peterent,
Inruere, aeriosque jubent incendere montes,
Tot nos propterea munerum ut immemores
Nil faciendum, nil dandum contra curemus,
Ne ulla quidem grati signa, bonique animi.
Verum ut de iis enitatur bene quisque mereri,
Quoque potest summo semper honore colat,
Qualem equidem tua sese patria praestitit omni
Tempore, cuncta implens obsequii officia :
Quem latuit quantâ fuerit reverentia in illos,
Et rerum dominam praecipue in Mariam,
Cujus ope e mediis toties erepta periclis
Felix saepe fere prae omnibus est habita.
Atque, reliqua ut taceam, queis non obnoxia fatis,
Queis non natorum obnoxia funeribus
Illa fuit, stygiis qua tempestate cavernis
Horrentes setis anguineae Eumenides
Emersere, et tot (proh nomina dira !) nefandae
Secum Erebi pestes stragibus innumeris
Irrupere italos (visu miserabile !) fines
Omnia miscentes lethifero ore loca.
Heu, quot tartareo urbes infecere veneno !
Heu, quot dirâ homines interiere lue !
Jam risus, dulcesque joci, facilesque cachinni,
Jucundumque prius quod fuit, omne aberat.
Templa modo adspicere deserta, viasque silentes,
Ejectisque fora horrere cadaveribus ;
Nilque unquam audires, nisi lamentabile, quidquam
Nil nisi singultus, et gemitum, et lacrymas.
Quì tunc non terror, quae tunc miseranda, Camille,
Mortis imago tuâ non fuit in Patriâ ?
Ah, quoties flevit longo externata dolore,
Pavit et extremum civibus exitium !
Verum quid pietas, quid non ardentia vota
Illius, atque humiles non potuere preces ?
Indoluit Maria, et duros miserata labores
Crudeli tandem evadere caede dedit.

Mitescit jam virus, jam afflat purior aër,
    Lethaeosque petunt jam fera monstra lacus,
O urbs, digna hominum cui tunc Regina, Deûmque
    Tantam in tanto discrimine ferret opem,
Scilicet hoc virtus meruit tua, tempore nullo
    Deleri ex animo cum benefacta sinas!
Hinc per saecla olli tot nunc spectacula, totque
    Sollemnes ludos magnifice instituis.
Hinc aulaea sacris splendent insignia Templis;
    Hinc arae multo thuris odore calent;
Hinc et equos, auroque graves per compita currus,
    Et totâ exultantem urbe vides populum.
Effusis Mariae plaudentem vocibus illam,
    Illam ego nunc optem qualibet evehere
Carminibus; quis enim satius canere haud modo ducat
    Tot Mariae laudes, tot decora eximia,
Quam libeat mediis fortes Heroas in armis
    Miscere, et magnorum acta referre Ducum?
Aeacidamque furentem, atque adversa omnia late
    Sternentem, dum acer militum in innumeras
Fulmineo ruit ense manus, aut fraudibus aptam
    Laertis prolem, quam, Phrygiorum opibus
Eversis, errantem, et curis tristibus actam
    Traxerunt toto bis duo lustra mari:
Aut etiam Laertiadis mirâ arte, dolisque
    A matre abductam dicere Tantaliden;
Nempe Agamemnonis pacata ut sanguine Phoebe
    Argivis pestem averteret agminibus:
Quae tamen ut mactanda fuit, divinitus aris
    Improvisam ajunt insiluisse feram;
Hancque olli caesam, pulchramque Mycenida demum
    Transvectam ad fines, Taurica terra, tuos.
Nam quid sunt isthaec, nisi Grajae somnia gentis,
    Quae sibi molita est vana superstitio?
Quid poterat Phoebe, quo pestem avertere pacto
    Monstraque tot Danais, nulla si ubique fuit?
Tu potes hoc Maria: testes Vatrenides undae,
    Et quicumque Italos irrigat amnis agros.
Te puram, sanctamque colunt, rerumque potentem
    Coelique, terraeque, et rabidus Phlegeton.

Hic ego nunc, olim quo numine polluit ingens
    Pindarus, hoc ipsum mî quoque inesse velim.
Hoc ego nunc mihi inesse velim, hoc venerarier ipso:
    Dî magni, numeris fertur ut ille suis!
Ut sermone fluit vel non imitabilis, utque
    Verba olli immensa luxuriant serie!
Seu victorem olea, pinuque apioque coronet
    Quaque geris cinctas arbore, Phaebe, comas
Verum ego qui hoc potero nunc, cum jam fracta cadat mens,
    Ipsaque vox trepidis haereat in labiis?
At tu facundi quem dulcis musa Catulli
    Edocuit claris artibus instituens,
Unde merae veneres, puri pusique lepores
    Ore tuo et nitidum profluit eloquium,
Qualis montano veniens de pumice rivus
    Qui per adesa levi saxa fugit sonitu,
Cujus sit umbroso projectus margine pastor,
    Dum mage sol urit, cum grege jam saturo
Tranquillos captat platani sub tegmine somnos,
    Cum interea leni aurâ acta strepunt nemora:
Tu hoc, inquam, praestes, et tecum Poggius, ille, (1)
    Quam mihi perpetuo foedere amicitiae
Par studium junxit: proh quanto numine fervet,
    Olli ubi corda ignis percita Apollineus
Conripit! o cultae quam tunc praestantia linguae,
    O quam tum docti vis micat ingenii!
Ille sophocleo modulatur digna cothurno,
    Ille et thebana carmina digna lyrâ.

(1) Simon Antonius Poggius S. J. tragicorum, lyricorumque modorum gloria nulli poetarum sui temporis secundus.

MARIAE VIRGINI MATRI

PATRONAE

BERNARDI ZAMAGNAE

ELEGIAE X.

ELEGIACORUM LIBER II.

AD MAGNAM DEI MATREM

Cui dabo exiguum pium libellum
Nec satis lepidum, nec expolitum?
Virgo dia, tibi: tuus libellus
Quum laudes habeat, tuus libellus
Dici vult: satis ille se putabit,
Si non displiceat tibi, beatum.
Quod si fors placeat; nec impolitus,
Jam nec illepidus, perennis aevo
Plus uno sibi plaudet, et libellos
Omnes, quot fuerunt politiores
Auroque, et minio, et cedro elegantes,
Vincet exiguus pius libellus.
At nisi auxilium tui repertum
Illi erit decorisque, nominisque,
Vix notus tineis, araneisque
Inter multa pusillus impiorum
Grandia illa volumina, ac venena
Atris in tenebris jacebit usque;
Vel tractu melior liquentis aurae
Unâque (1) aeriam ratem secutus
Ibit ludibrium Favoniorum.
Quare illum tibi habe; tuus vocetur;
Sit tuus. Sub Herâ quid oro tantâ
Vel sibi metuat, vel optet ipsi
A me jam fieri mage expetendum?

(1) Locus hic referendus ad aliud auctoris poema sane luculentissimum, et ad Lucretianam lucernam elaboratum, cui titulus — Navis Aëria — Impressum fuit Romae elegantissimis omnino formis a Paullo Giunchio anno 1768 in 8.vo
C. M.

ELEGIARUM MONOBIBLOS

ELEGIA I.

AD VIRGINEM SINE LABE CONCEPTAM

Primam qui vetito matrem decerpere ramo
  Poma malus vafris impulit insidiis;
Qui suo mortale genus late omne parentis
  Unius ob noxam subdidit imperio
Lethiferum inspirans virus, quod corpore fusum
  Atque animâ omnigenûm monstra creat scelerum:
Idem ille in colubri faciem conversus et ora
  Hostis atrox veteri te quoque posse capi
Credidit arte, Infans rerum purissima: non spem
  Tantae illi potuit demere laetitiae
Criminis, aut ultrix diri promissa (1) Virago
  Impresso elidens monstra nefanda pede;
Aut rubus ille vetus (2) flammâ crepitante cremari
  Visus, sed nullam passus ab igne notam;
Unave (3) diluvio referens te, Diva, carina
  Illa jugis tandem sospes in armeniis;
Proxima vel tellus largo dum rore madescit,
  Aridulum, ac nullo vellus (4) ab imbre madens;
Sunt rata signa tuae foecundâ matris in alvo,
  At non maternae conscia labis, ades

(1) Cornelius a Lap. in illud Genes. cap. 3 ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus etc. id etiam de B. Virgine intelligendum affirmat.
(2) Exod. cap. 3.
(3) Requievit Arca . . . . super montes Armeniae etc. Genes. cap. 8.
(4) Judic. cap. 6.

En concepta, prius caelesti lampade sanctus
Nempe amor exussit terque quaterque luem
Incretam, et stygii exemit mala semina tabi:
Tum niveâ finxit candida membra manu
Sanguinis ipse legens guttas, qui purior, et qui
Matris erat toto in corpore vividior.
Ah fuge jam coluber: viden', ut dia emicet infans?
Te petit illa, tibi bella necemque parat.
Hinc amor, hinc tutam custos tegit altera pulcrum
Gratia (1) stellanti corpus amicta togâ,
Spesque fidesque simul, flos ille merus virtutum,
Formosam laeto circumeunt thiaso.
Infans ò felix salve! quid vota moraris?
Annae jam nascens egredere ex utero.
Nunc infans, olim virgoque parensque futura
Digna Deo; ex te una est nostra oritura salus,
Unaque tu generis lapsi pars integra, et una
Quam merito e nostro vix rear esse satu.
Scilicet Isacides priscum genus heroinae
Tantum omnes cedunt laudis honore tibi,
Quantum sublustri rutilantia sidera nocte
Fulgori cedunt cuncta hyperionio:
Qui quum se eoâ mane extulit amphitrite,
Obruta inextinctis ipsa latent radiis,
Nec caelo apparent, nec pingunt aurea templa;
Ille suo tantum fundit ab axe jubar.
Et merito: nam quae parili se jactet honore,
Quae se laude tibi conferat? anne (2) Sara,
An formosa Rachel, an Debora fortis, an illa
Assyrio referens quae redit exuvias
De duce sanguineâ caput a cervice revulsum?
Quae prius, eximiae quam retulere decus

(1) Riccardus a S. Laur. super Eccl. omne enim, ait, genus gratiarum, et omnia charismata virtutum intrarunt in Mariam etc.

(2) De Sara in Genesi mentio in cap. 11 et seq. De Rachele Gen. 29 dicitur, quod erat decora facie, et venusto adspectu, quam etc. Jud. lib. 4. Erat autem Debora prophetis: uxor Lapidoth, quae judicabat populum etc. Vide etiam librum Judith etc.

Virtutis, dederant stygiis captiva catenis
    Et phlegethontaeo colla premenda jugo:
Omnibus ille draco malus ingruit, omnibus ante
    Cervicem impositis pressit atrox pedibus.
Cujus tu contra sprevisti sola furorem,
    Nec de te exuvias perfidus hostis habet.
Quin stygio quamquis epotum in te vomat amne
    Virus si qua ortus laedere fraude tuos
Possit, conantem frustra vincis tamen hostem
    Innocuo calcans livida terga pede,
Insultansque, magis, magis o precor usque scelestum
    Auctorem, a quo sunt omnia nata mala,
Omnia sunt nobis felicis gaudia vitae
    A quo rapta, magis, dia puella, preme.
Ille suo ereptum per te nostrum genus iri
    Infrendens frustra jam sciat imperio;
Et sciat et doleat vesanus: cur bona cessant
    Gaudia? vicit io magna puella stygem,
Vicit, et attonitis laetum mortalibus omen
    Iris (1) vicinae nuncia pacis adest.
En iterum, quales nondum ullo crimine foeda,
    Anguineo nondum perdita flagitio,
Terra dabat, flores parit undique versicolores:
    Illi autem, circum dulce sonans Zephyrus
Dum volat, arguto foliorum murmure discunt,
    Ut merita es, laudes dicere, sancta, tuas.
Dicite jam laudes, jamque una crescite flores,
    Quos alit alma suae terra parens dominae,
Quosque in serta legens dicam, tibi munera prima,
    Lux mea, pro domitâ dat styge noster amor:
Addam etiam cantus, sed quos nec Pieris ulla,
    In sylvis Phoebus nec docet aoniis,
Humor hianteae qua defluit hippocrenes,
    Et vatum epoto corda ciet latice.
Ingenium dabis ipsa; unam te nostra sonabunt
    Carmina; tu nostri carminis auctor eris.

(1) Hoc est signum foederis . . . . . : arcum meum ponam in nubibus etc.

ELEGIA II.

AD VIRGINEM NASCENTEM

Qualis noctivavagae phoebes (1) nitor almus olympo
Emicat, ac niveis invehitur bijugis;
Qualis ab eois nimbo conspersa rosarum
Memnonis illa parens prosilit aequoribus;
Qualis et imbriferas ubi guttas auricomus sol
Permeat, in vario lumine versicolor
Post hyemem jam depulsam post nubila tetra
Formosae facies iridos exoritur;
Talis ades nascens: quid talis? ne boua saevi;
Quin potius vati parce, puella, tuo.
Pauperis hoc vitium linguae, quae nescia fari est,
Quod videt attonitis sensibus in te inhians
Mens animi, puras quum primum lucis in oras
Matris felici laberis e gremio:
Conatur tamen ipsa, potis si dicere, et omnes
Verborumne quidquam anxia versat opes,
Vestigatque undas, poti queis ducere vates
Suerunt ismariis culminibus nemora,
Aque Hebrum, Tanaimque inhibere: heic deficit humor
Pegaseus, fons heic aret apollineus;
Rerum nulla refert species te, Diva: venustum
Nil est, quo non sis tute venusta mage.
Quippe venis, qualem voluit Sator ille supremus,
Et voluit, qua nec pulcrior ulla fuit,
Nec melior, volvens te (2) aeternâ in mente, priusquam
Mundi libravit moenia ponderibus,

(1) Cant. cant. 6 cap. 6. Quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulcra ut luna etc.

(2) Proverb. cap. 8. Ab aeterno ordinata sum etc. quando etc vide expositores in hunc locum.

Effuditque auras late, certisque revinxit
Terrarum clausum finibus oceanum,
Sidera et immisit caelo; tu namque fuisti
Illud opus, majus quo nihil ipse Deus
Condidit, et solem quamvis et sidera promsit,
E tot inexhaustae mentis imaginibus;
Tantaque virtutis tua sunt (1) exordia, nondum
Nata omnes omni ut decore antevoles.
Nil igitur conferre tibi sese audeat: atqui
Non ideo has humiles sperne puella domus;
Has tibi praecipue rerum Pater ipse paravit,
Praecipue tellus condita et astra tibi.
Aspice fulgentem lunam, quae dum aurea coelo
Ducit sidereas, nocte silente, faces,
Optatum per lassa dabit tibi membra soporem
Pallidula teneros luce fovens oculos.
Aspice et auroram: rubuere ardentia coeli
Templa, rubent longe culminaque et sylüae:
Haec tibi solis erit praenuncia, jam nova rerum,
Quoquo oculos vertas, se facies aperit.
Tethyos en pura prodit sol almus ab unda;
Vanescunt tremulis sidera luminibus,
Nusquam atrae est facies noctis: tantum ille coruscans
Litore ab eoo litus ad hesperium
Spicula diffundit lucis volitantia; quae se
In septem postquam stamina dissoluunt,
Omnibus ille suus rebus color, omnibus illa
Et forma et species floribus enituit.
Tum Libani te (2) cedri, et sioniae cyparissi,
Tum vocat atque ingens palma, oleaeque viror,
Et riguo platanus campo, Hiericunctis et illa
Ambrosium os rubro tinta lepore rosa:
Dumque vocant, placidas zephyris motantibus auras,
Adsonat omne avium per nemora alta genus,
Colluditque iterans blando tua nomina cantu.
O quae tam felix nasceris, haud metuas

(1) Fundamenta ejus in montibus sanctis: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Psal. 86.

(2) Eccl. cap. 24: Quasi cedrus etc. Lege sis Repertum etc.

Heic habitare ; tuo si nunc dignabere terram
    Adspectu , veterem se induet in speciem ;
Qualem habuit, miseram quam nondum perdidit Heva
    Decepta inferni fraude mala colubri.
Omnia sunt illi primum hoc de fonte coorta
    Tot mala et omnigenae semina nequitiae :
Quae cunctis natura parens infausta suorum ,
    Hausere ut primae tempora vitae homines ,
Insinuat penitus: tibi sed , quae colla draconis
    Presseris in carae matris adhuc gremio ,
Haud unquam insevit : semper curaeque metusque
    Longe aberunt , falsae et gaudia laetitiae ,
Et spes et desideria atque aestus animorum ,
    Transversos qui nos turbine conripiunt ,
Absorbentque ; atrum in barathrum : tibi pectoris omnes
    Motus pax certo foedere certa reget ,
Nullo inconstantis fortunae agitabere casu ,
    Nulla tuum invadent nubila consilium :
Quae sunt recta , voles ; atque inter recta sequeris
    Optima quaeque ; in te candida lux inerit ;
In te dius Amor, puram qui saepius auras
    Te levis hinc pennis evehet aureolis
In superas alte volitans , ubi purior aether
    Et supra Sinain et juga Thaborea
Ridet , et haud ullo concessus turbine saevit.
    Illic tu nigris altior et nebulis ,
Altior et nimbis ventisque furentibus omnes
    Despicies casus , despiciesque minas ,
Queis humilis regio hac miscetur. Quare age laeta
    Regina o terras ingredere, ipsa decus ,
Ipsa aderis magnum columen mortalibus aegris.
    Quos inter quum me videris, affer opem
Jactatoque vagoque : orto jam sidere tanto
    In medio incolumes ibimus oceano.

ELEGIA III.

AD VIRGINEM DEO SE IN TEMPLO DICANTEM

Tantane te capiunt carae fastidia matris?
    Sicne audes patriis cedere liminibus?
Ah properos cohibe gressus, quo, dia puella,
    Te rapis? an celsae templa petis Solymae
Virginibus (1) virgo decus accessura? quid eheu
    Te sine jam mater, te sine jam genitor
Heu quid agat? tecum solatia rapta senectae,
    Omnis tecum una lucis abibit amor,
Iste tuus praesens quem pridem adspectus alebat,
    Nunc absens multa perdit amaritie.
Et quamvis te non teneant, suspirat uterque
    Attamen, ac tepidis ora rigat lacrymis.
Ire tamen tu pergis: eunti ignoscite, tristem
    Et fletum uvidulis tergite luminibus.
Illam ducit Amor: dio quis pugnet Amori?
    I, quo tantus agit, sancta puella, Deus:
Ipse fores reserat, dextram tibi porrigit ipse,
    Ut facili valeas limen adire gradu
Auratum templi limen, magis aptus in orbe
    Istis quo nullus moribus esse locus.
Nulla potis mage digna domus, tu candida nempe es
    Illa (2) columba, olim missa per imbriferos

(1) Multa sunt hac in re aut obscura, aut incerta; magnaque est opinionum varietas inter auctores, qui de hujusmodi argumento scripsere. Nihil tamen heic dictum est, quod cuiquam temere dictum videri jure possit; quum ea fere omnia, quae describuntur, non levis auctoris alicujus nomine atque auctoritate nitantur.

(2) Genes cap. 8. Emisit quoque columbam post eum, ut videret . . . . . quae quum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam etc.

Quae tractus, nondum quum sederat aestus aquarum,
  Abdita queis tellus maxima delituit,
Ut sedem haud reperit late omnia circumspectans,
  Quiret ubi niveos ponere lassa pedes,
Extimuit, plusumque alis fugiens dedit, et se
  Laeta iterum navi reddidit incolumem.
Scilicet in terris alibi num sistere posses,
  Heic ubi commixtum fas simul atque nefas:
Tot scelerum facies, tam multae unde undique pestes
  E stygio excitae circumeunt barathro.
Quarum nulla tuos poterit corrumpere mores,
  Nulla isthuc inferre ausa pedem poterit
Te puram terrere: audin'? jam numen in almâ
  Aede sonant, numen carmina sacra canunt,
Thureus ante aras dum se vapor evehit alte.
  Tu divino adflatu intus adusta animum
Suspirasque, ardesque, atque uno numine gaudes
  Ora sinumque tepenti imbre madefaciens.
Qualis ubi aurato subnitens cerea lychno
  Concepit flammae vim facula igniferam,
Illa quidem mollita liquescit ab igne, simulque
  Cuncta renidenti luce loca exhilarat.
Huic similis flesque ardesque; et jam vix capis ipsa
  Plenam exultanti pectore laetitiam,
Qua socias inter gaudes jam sede recepta
  In templi: at verso cardine jam crepuit,
Postibus occlusis, heu janua! quis mihi tete
  Invidet, et cupidis subtrahit ex oculis?
Pande fores nimium immitis quicumque minister:
  Men' longe posse hac Virgine abesse putas?
Ergo te numquam posthac formosa videbo,
  Abstrusam in magni numinis obsequio
Nunquam ego te adspiciam posthac? at mente tuebor,
  At certe gratis pascar imaginibus;
Haud aliter quam si manifesto in lumine praesens
  Praesentem obtutu conspicer assiduo.
Ac modo idereâ (1) suffusam luce videbo
  Ardenti sanctas fundere ab ore preces,

(1) Aliqua heic officia atque munera referuntur ex iis, in quibus puellae, quae alebantur in templo, juxta verosimiliorem opinionem exercebantur.

Quas alacer charitum circumvolitans chorus omnis
Excipit, ac sedes evehit ad superas
Astra super solisque jubar: modo sacra canentem
Carmina, vel prisci temporis historias
Volventem, ac memori fingentem in corde tuorum
Illa tot adspiciam grandia facta patrum.
Saepe etiam cernam, superum famulante coronâ,
Adposita in tela ducere ab arte notas;
Ut varii immensos per caeli didita tractus
Numinis ad nutum fulserit haec species
Et nihili novus e latebris emerserit orbis,
Non qualis nunc est dira lues hominum,
Cunctarumque simul virtutum triste sepulcrum,
Nescius ast ipsis cedere sideribus.
Saeva parens, tantine fuit decerpere pomum?
Te miserans coeptum forte remittit opus
Nunc mea virgo, tuosque horret dum effingere casus,
Daedala acus saepe illi excidit e digitis;
Flet quoque, et anxifero suspirat pectore: quid fles?
Non tibi, sed nobis saeva parens nocuit.
Aurea quin tenui rursum velamina filo
Pinge age et artifici pollice rursus acum
Docta cape: en quatuor video de partibus omnes
Caeruleo sedes tramite dividere
Elisias, tempe felicia; ver ubi semper,
Puraque ubi caelo lux sine nube micat.
Hic princeps est ille hominum; circa volucrum vis
Plaudit, et agnoscit terra suum dominum,
Agnoscuntque ferae omnigenae, floresque videntur,
Qua se fert, prono vertice suppliciter
Ipsi etiam venerari: aliâ stat parte puella
Pulcra os, ac flavis conspicienda comis,
Quas inter zephyrus ludit lascivus: at illi
Non coma, non curae est jam decus oris; hians
Arbore sub viridi tantum stupet aurea mala,
Quam formosa, legi non minus apta manu.
Illam anguis blande cernit, ramoque volutus
Mala inter squamis enitet aureolis.
Heu quid agit! niveam poma ad fatalia dextram
Porrigit: ah isthoc, dia puella, precor,

Mitte opus! heic Heva pro tristi, missa Virago
    Illa polo potius magna locum teneat;
Quae premet inferni collum fatale draconis
    Siderea in flavo serta gerens capite.
Hanc tu dum pinges, supplex venerabere, et unam
    Quot fuerunt, quot erunt, matribus anteferes:
Hanc, ego te venerans, semper venerabor, et ipsam
    Esse velim, vates cui placeam ante alios.

ELEGIA IV.

AD VIRGINEM NUBENTEM.

Non temere insonuit laetis concentibus aura,
    Clarior et solito lumine tota nitet:
O venias mea nympha; sacras Hymeneus ad aras
    Ecce tibi casti vincula conjugii
Aëreum caeli croceis fidens iter alis
    Et gerit, et tali laude superbus ovat
Caelicolûm in thiaso: viden', ut pars candida nectit
    Puniceis pulcre lilia taeniolis,
Pars in serta rosas addit tibi suave rubentes,
    Quas prius ambrosio rore rigavit Amor,
Dius Amor, numquam visus qui laetior ante
    Fulget inauratâ candidus in tunicâ,
Sidereoque faces succensas igne coruscans
    Jam cupit optanti trádere te socio.
Ne dubites, huic, Virgo, tuam concredere dextram;
    Flagrat, at innocuo flagrat amore animum;
Dicetur jamque ipse tuus, diceris et ipsa
    Jam sua, sed primum stabit utrique decus,
Virgineus sed stabit honos, devotaque caelo
    A primo aetatis vere pudicitia.
Hoc felix tibi conjugium Deus auctor olympo
    Spondet, et hunc socium destinat ipse tibi:

Hos etiam placidi vitream Jordanis ad undam
    Inter plaudentem Naïadum choreas
Felices dulci cantu celebrare hymenaeos
    Est suetus Salomon, ille tuus proavus
Magnorum soboles pulcherrima Jessidarum:
    Ille amor hic fuerat castus, et almus hymen,
Cujus saepe novâ capti dulcedine colles
    Palmiferi exiluere et juga cedrifera.
At tu cui talem fatorum arcana dicarunt
    Nuptam, justitiae (1) praemia magna tuae,
O nimium felix gaude; tibi tradita cura
    Illius est purae Virginis, ulla fuit
Qua neque amabilior superis, neque carior usquam,
    Nec mage virgineo nobilis ingenio.
Nam quodcumque facit, quoquo sua lumina flectit,
    Admovet illa virûm sensibus omnigenae
Virtutis stimulos, castique accendit amoris
    Non prius expertis vota cupidinibus.
Nunc tamen haec eadem tactus exosa viriles,
    Certaque non legem frangere virgineam
En tibi se credit, nec dedignatur amantem.
    Quippe illi in te uno tanta reperta fides,
Omnia qui tenerae praestes bona commoda nuptae
    Atque eadem intacto corpore tecta colas:
Ac veluti amplectens vitem ulmus tristia flabra
    Ventorum, validae sustinet atque hyemis
Immota incursus; carae tu nempe puellae
    Sis tale in duris casibus auxilium.
Hoc faciet, mens haec illi; socialia tecum
    Partiri vitae commoda cuncta volet,
Atque tui decoris (2) custos, atque additus una
    Moeroris, virgo, laetitiaeque comes
Caetera connubii tibi cedet jura, sat uno
    Munere contentus, quod tuus esse queat.
Hoc ipse an potuit majus contingere votum,
    An quidquam melius poscere coelicolas?

(1) Joseph autem . . . quum esset justus etc. Luc. cap. 1.

(2) Desponsata est viro justo non violenter oblaturo, sed potius contra violentos custodituro etc. ait Augustinus de Sancta virginit.

En qua regna patent Phoebi flammantis ad ortum,
Quaque idem hesperio tingit in amne rotas,
In terris facies non hac formosior ulla,
Non est et virtute auctior ulla anima,
Fulgere cuique magis rerum illa aeterna potestas
Eximiae semper laudis honore dedit.
Quare agite unanimi quos jungit foedere taeda
Pura ferens puris gaudia conjugibus,
Consulite o terris ambo: jam candida caeli
Stillantis dio nubila rore pluent,
Jam tellus inarata almo foecunda vigore
Pollicitum tumido proferet e gremio
Florem (1) Jesseum, suavem qui sparget odorem
Stellarum sedes ultra hyperionias:
Illaque lucidulo clausae se cortice conchae
Gemma nitens pulcris exeret aequoribus;
Cujus naturamque simul miratur et ortus
Doris, et invisi seminis unde vigor.
Aetheria certe nascetur origine proles,
Nascetur qui vos nomine saepe vocet,
Teque suum dicat patrem, tibi candida nympha
Parvus ab admotis pendeat uberibus.
Tunc animus quis erit vobis? quae mens bona purae
Laetitiae admirans gaudia concipiet?
Illa specus bethlea, illud mihi testis et antrum,
Nunc tantum bruto grata domus pecori,
Thure olim dignanda atque ipsis aemula stellis
Regales multo vincet honore lares.
Dicere plura mihi vetitum; immortalia musae
Mortali prohibent facta docere sono.
Et jam concussit flagrantem lumine fausto
Subridens placide laetus amor faculam;
Ipsaque secreti liquens penetralia templi
Arguta virgo concrepuit soleâ.
O venias nova nupta novum columen nuptarum;
Anulus in sponsi clara micans manibus
Candidulum poscit digitum, quo fulgeat aptus,
Aeternam et fulgens servet amicitiam

(1) Isai. cap. 11. Egredietur virga de radice Jesse et flos etc.

Gaude Amor, o gaude felix Hymenaee, peracta
Omnia; jam nupsit vestra puella viro,
Et pulcro suffusa genas pudibunda rubore
Nupta rubet, qualis sale pudoricolor
Os perfusa rubet tithonia matutino,
Ac roseis prodit tethyose foribus:
Sis felix mea vita; die si videris isto
Me facilis, felix semper et ipse ferar.

ELEGIA V.

AD VIRGINEM, CAELESTI NUNCIO ACCEPTO

Quisque ades, fer thura, pius: vos ite profani,
Ite, et sacratis cedite limitibus:
Siderei en rutilâ caeli venit (1) ales ab arce
Nuncius (alarum nosco ego jam sonitum,
Ambrosios nosco crines, nec fallor), et istâ
Fulgentem laetus ponit in aede pedem.
Jam subiit: quid Virgo tulit? quae verba loqutus?
Me miserum, trepido pectore sollicita
Turbatae (2) similis suspiras: cur ita spargis
Virgineo niveas moesta rubore genas?
Qui timor hic tantus, quae tristia nuncia terrent
Attonitam? certe gaudia laeta tulit:
Laeta piis hilares portendunt gaudia divi,
Felicem diae germine te sobolis,
Felicem matres inter te dixit, et unam
Cunctis omnipotens quam Pater antetulit.
Idne (3) times, Virgo, materno et nomine palles?
Ah! istum trepido pone metum ex animo.

(1) Luc. cap. 1. Missus est Angelus etc.
(2) Quae quum audisset, turbata est in sermone ejus etc. cap. 1. Luc.
(3) Luc. item cap. 1. Ne timeas etc.

Mater eris, sed virgo simul: Deus ipse parentem
Te sibi jam legit maximus, et metues,
Ne tibi virgineus pereat flos? purior imo
Adflatu extiterit numinis ac melior.
En repetens animo priscorum oracula vatum
In te illud matrum casta puella decus,
Foecundam, in te illam divinitus heroinam
Agnosco: o quid me laetius esse potest?
Quid magis optandum terris contingere? salve
Lux bona speratae conscia laetitiae,
Salve ales, salve quot sunt Jesseidas inter
Maxima! jam promissa ergo erit illa dies,
Ergo erit, o Virgo, qua, post discrimina rerum
Multa ignominias post tot, et opprobria,
Quae misere patrio tulimus pro crimine sontes,
Libera jam dabitur solvere colla jugo,
Jam caelum sperare: hominum per te genus omne
Nunc melius faustis nascitur auspiciis,
Ac decus amissum spondet sibi; tu modo Virgo
Elue foemineum foemina triste scelus
Aetheriâ foecunda aurâ; si dura resistes,
Irrita per caelum vota ferent zephyri,
Mersaque lethaeo spes usque innabit in amne.
Haud etenim nostrae tollere tristitiae
Tantillum quisquam potis est te praeter, ab unâ
Nostra salus pendet nempe vel interitus.
Exitium ab nostrum ni vis crudelior Hevâ,
Humani te jam tangat amor generis.
Hoc matris lacrymae, hoc genitor te poscit: an audes
Hos quoque speratis demere sideribus?
Qui te nutribant quum parvam, tot bona totque
Eximii dotes eximias animi
Mirantes meliora sibi, meliora solebant
Haud temere sperare omni hominum generi;
Fors quoque promissam terris te saepe putabant,
Quae digna et diae matris honore fores.
Excidit an facinus, stygii quo colla draconis
Pressisti, quo non fortius esse pote?
Tempore jam ex illo melius confidere nobis
Coepimus, et nostram agnoscere te dominam.

Nunc tua at immenso celebrabitur aethere fama,
    Nunc terris nullo tempore deficiet,
Quin longo aetatum senio magis usque vigebit,
    Clarescetque magis nomen ubique tuum;
Hesperius noscet, cultor te noscet eous,
    Supposita, et geminis ultima terra polis
Virtutemque suae colet et benefacta parentis.
    Auguror: haec etiam ipsa haec domus illyricos
Aëra (1) per liquidum procul hinc petet advena colles:
    O nemora, o colles Illyriae, o Libano,
Engaddique jugis quae tum loca praeferet illa,
    Gaudete ipsius dum licet hospitio;
Certatim, haec virgo hic juvenis quibus instetit ales,
    Oscula sacratis figite liminibus.
Non tanto gaudere diu nam munere, tanta
    Non vobis longum laude frui dabitur.
Jam volat adriacos fugiens super ardua fluctus,
    Vectaque litoribus sidit in ausoniis,
Qua nemora adclivi paullatim laurea calle
    Surgunt Picenis edita verticibus;
Sedem illic cultumque volet: tu Dalmata, frustra
    Desertam ut redeat rursus in Illyriam,
Litoris adversâ patrii flens tristis in orâ
    Sparges aeoliis vota ferenda notis.
Illic Diva sibi sedem leget ipsa, potenti
    Illic Ausoniam numine diva teget;
Excitaeque ferent illuc sua munera gentes,
    Quas et Arabs, quas et ditior Assyria,
Indiaque aurifero submittit litore merces,
    Concharum et genitor parturit oceanus.
Sed mihi quae subito lux emicat? annuit (2) alma,
    Annuit o! laetus nuncius ecce redit.
Ille secat roseis coelum pennis; Deus alvum
    Virginis in castam labitur omnipotens.
Concipis en, Virgo, dium sine semine foetum,
    Nec qua in te venit, qua subiitque viâ;

(1) Vid. Tursellinum in hist. Dom. Lauret.

(2) Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi etc. Luc. cap. 1.

Mirans agnoscis, plenam te lumine tantum,
    Unigenamque utero noscis habere Deum.
Ceu quando florum per germina matutinus
    Lene fluens puro liquitur axe liquor,
Rore madent pellucidulo, rore omnia late
    Canescunt, blandum nescia qua subiit
Intra se rorem sentit rosa, sentit et udum
    Sublucens violae purpura aperta sinum,
Omne genus florum sentit, penitusque recepto
    Et viget, et molli germine quisque tumet.

ELEGIA VI.

AD VIRGINEM IN MONTANA PROFICISCENTEM.

Ergo etiam in montes, atque addita montibus antra
    Audebis, patriâ Virgo profecta domo
Ire gravis foetu, nuper concretus in alvo
    Qui tuâ inextincto numine dius inest,
Quique tibi carus certe est, quam quod pote carum
    Esse mage? Ah! tenerae parcere tam refugis
Si tibi, si quamvis audes perferre laborem
    Magnanima, et duris casibus indomita;
Sat Pharias olim fuerit contendere ad oras,
    Iuque Canopaeis degere littoribus,
Parce tuae nunc o Proli miserata: quid illam
    Excrucies? lasso corpore languidula
Ah! nimium propero figens vestigia gressu
    In sentes quoties vulnificos pedibus,
Asperaque offendes in saxa! dolebit et Infans
    Ah! tener, ah! vulnus sentiet ipse tuum,
Ingemet et gemitu audito. Si tantus Elisae
    Te consanguineae tangit amor, Sobolis
Jam potior Mater tangat cura. An tibi vota
    Haec Puer in tacito suscitat ipse animo?

Sic certe est: non haec ejus sine numine fiunt:
  Ille per ignotas te jubet ire vias.
Tu ne illi haud parcas? Tu frondiferas convalles,
  Celsaque montanis edita verticibus
Antra petas, illo invito? Non hoc tuus iste
  Non sinit in Puerum credere magnus amor.
Nunc utinam comes ipse forem, ne sola viarum
  Scabra per, et saevos ingrediare rubos;
Percurrens, quacumque ires, citus omne polirem,
  Virgo, solum, ne quid mollibus officiant
Plantis aut silices, ramorum aut fragmina. Et o quam
  Perstarem tanto laetus in officio!
Quamquam iter hinc esset longe tibi trans Atlanta,
  Trans Indum, trans et Caucaseam glaciem;
Te sociâ, quid enim haud ausim? sed tute loquentem
  Deseris, et cupidum me renuis comitem.
I, mea Virgo: regat sic te supremus ab alto
  Ille Pater, cujus fers utero Unigenam;
Sic dius te servet Amor sic serviat uni
  Quidquid habet tellus, quidquid et axis habet.
Nubila jam, pluviaeque absint: sol purior igni
  Splendeat, et, clarâ luce supervehitur
Dum solito mage laetus, ubique hilares hyacinthi,
  Liliaque et violae suave magis niteant;
Omnibus et rebus veniat nova gratia, et omnis
  Jam natura omnes pandat opes Dominae.
Fallor? an et volitans rutilas huc ipse per auras
  Aligerum Gabriel agmen agit juvenum,
Qualis formosos inter formosior ignes
  Occiduo lotus vesper in Oceano?
O Nymphae bona jussa ferens qui nuncius axe
  Adstiteras nuper missus ab aethereo,
Idem tu superos inter pulcherrime Divam
  Duc age, et in coeptâ sis comes usque viâ;
Neve illi solis noceat vis acrior, alas
  Pande caput supra virgineum roseas:
Pennarum objectu radii frangantur; at illa
  Gaudeat umbroso tramite ferre pedes.
Interdum et platano subeat defessa, neque ultra
  Tendat iter, scabro praecipue e silice.

Muscus ubi et vario vestit se gramine tellus
Versicolor, si fons lene sonans fugiat
Saxa inter similis pellucidulae crystallo.
Hic illa adsideat; seu velit aridulo
Ore sitim relevare, oculos seu claudere somno:
Ipse feret latices rivulus ad cyathum;
Lumina dum lento trepidans fertur decursu,
Ipse soporifero murmure fota teget.
Omnia sint jucunda: hinc atque hinc saepe volantes
Aligeri fratres germina odora metant.
Et quacumque pedes Virgo feret, imbre rosarum
Purpureo spargant desuper omne solum.
Pars niveis Divae pedibus subjecta premetur;
Ibit pars tremulis ludibrium zephiris:
Qui dum frigidulo mulcentes aëra flatu
Spirabunt, ramis tecta sub arboreis
Suavior organico cantus dabit ore liquentes
Daulias, absumpti non memor illa Ityos.
Si velit et blandis tecum sermonibus horas
Fallere, sermones cura tibi serere
Sit, quoscumque animo scis ipse placere Puellae,
Illam quos melius posse tenere putas;
Ut minus ignoti gradiens fastidia callis
Sentiat, optatam dum bona visat (1) Anum.
Quae simul ac diam venientem a limine Nympham
Viderit, occurrens protinus exiliet,
Amplexusque ferens, atque oscula dulcia figens
Haerebit Dominae collo, humerisque diu.
Mox etiam propriore Dei jam numine plena
Fatidicos vero solvet ab ore modos:
Scilicet indignam (2) se se, quam candida visat
Virgo eadem, ac magno foeta Deo mulier.
At quae tibi proh! Virgo contra tu verba loqueris;
Quam miranda, et quam (3) magnifica evolües!
Felices quos tu dignaris visere; felix
Et Mater, felix Matris et ipse Puer,

(1) Luc. cap. 1. ait ad Zacharias = uxor mea processit in diebus suis. etc.

(2) Luc c. 1. = unde hoc mihi, ut etc.

(3) Magnificat anima mea etc. Luc. c. 1.

Qui jam longaevâ succrescit sanctus in alvo,
Matris et exultans rumpere (1) claustra cupit,
Praesentem ut videat, sibi, qua veniente, refulsit
Lux nova, et insueto munere dius Amor.

ELEGIA VII.

AD VIRGINEM DIVINO PARTU JAM PERFECTO.

Non ver ﬂloriferum ridet, non aura Favonî
Lene ciet pennis aequora purpureis;
At nunc Idumaeos late nix obruit agros,
Jordanisque alto constitit unda gelu.
Frigida et hybernae volvuntur sydera noctis:
Tu gelidae ingressa in pumicis hospitium
Ah qualem Puerum, Virgo, paris! o bona mater.
Quam (2) pulcher tuus est, quam puer hic similis
Est tibi! non certe matrem rosa, non amaranthus
Purpureo melius purpuream ore refert,
Parvus ubi explicuit molli de cortice frontem.
Ut capit, ut memet surripit ille mihi,
Huc istos blande quoties convertit ocellos,
Queis etiam posset frangere vim calybis,
Aut si quid calybe ipso usquam pote durius esse.
Vincor io: tantae ferre negant oculi
Mortales lucis flagrantia spicula: nosco
Numen, in humano corpore quippe subest;
Nec tacite prodit se se: velut obvia soli
Quum se se aut nubes, aut vapor opposuit,

(1) Exultavit in gaudio infans etc. Luc cap. eodem.

(2) Psal. 44 = Speciosus forma prae filiis hominum etc. Nicephorus autem Cahistus hist. lib. 1. cap. 40. sic ait = Persimilis denique per omnia fuit divinae et immaculatae suae Matri =.

Objectu et radios intercipit; ille corusci
    Quamquam interceptâ parte latet jubaris;
Haud tamen omnino tegitur, nebulamque per ipsam
    Fundit inextinctas lucis ab axe faces.
Sed Deus est quando Puer editus, hic ne jacebit?
    Nec minus hoc fuerat vilis in orbe locus?
Hic igitur, Virgo, hic inter deserta ferarum
    Lustra pruinosis pervia flaminibus:
Rupe sub hac scabris pendentibus undique tophis
    Nudus in agresti stramine pro violâ,
Pro molli narcysso, pro languenti hyacintho
    Iste tuus ponat lactea membra Puer?
Humani ille salus generis, spesque unica, longe,
    Proh dolor! humano pulsus ab hospitio est,
Et tremit, et gelidâ vagit projectus in ulvâ,
    Aurea sydereo cui micat axe domus.
Te tamen haud pudeat vili peperisse sub antro:
    Tantus ubi est Infans, tantaque ubi Genitrix,
Illa capit sedes, quidquid formosius usquam est:
    Illa ipsis domus est aemula syderibus.
Quin etiam tempus veniet, cum rupibus hisce
    Invideat tantum maxima terra decus:
Nilus, et Euphrates, Ister, magnusque Garumna,
    Ille suam Aegyptum oblitus, hic Armeniam,
Teutonicas arces alii, Gallumque potentem
    Hac fluere undisono tramite quam cuperent!
Quam riguo rupes attactu has lambere! dumque
    Hac fluerent, solito lentior unda foret:
Jam video et lapsis quaesitum oracula rebus
    Haec loca et Eoos, et petere Hesperios
Trans freta, trans montes longe: quia Martia Roma
    Hanc septemgemino vertice suppliciter
Exiguam colit ipsa specum, nil aurea curans
    Illa suo quondam templa superba Jove.
Jupiter hic melior Puer est: latet ille, suumque:
    Hoc nascente, caput condidit in stygii
Horrentes Erebi latebras, informe barathrum!
    Quo nos jam blandis egerat insidiis,
Ni tu, dia Parens, peperisses: omnia nobis
    Sunt bona de tanto nata puerperio.

Ac gemitus, fletusque, atque anxiferi singultus
    Sunt versi in subitae gaudia laetitiae.
Pax regnat, pax alma viget; tuque inclyita magnum
    Virgo in Achemeniis nomen habes domibus.
Laeti adsunt, en certe adsunt, ducentibus astris,
    Non rude pastorum vulgus, et agricolae;
Ast Arabum (1) proceres delecti, prima virorum,
    Qui tibi, qui Puero ditia dona ferunt
Littoribus longe a patriis. Hos tu, bona cernes
    Quum Grati ambrosios procidere ante pedes,
Laetanti excipiens vultu solabere; et o quam
    Dimittes hilares rursum in Arabiam!
Illi felicem te dicent; unaque certe
    Matres tu felix mater es ante alias,
Quae tantum ediderís Puerum, cui contigit uni
    Tale decus. Gremio tu ne fovere Deum?
Tu potes et diae acclinis dare basia fronti,
    Inque os lac niveis exprimere ab uberibus?
Ille tibi arridet, teque obtutu fixus in unâ
    Gaudet tam de se cernere sollicitam;
Ac matrem agnoscit tendens sua brachia, et ora
    Cum movet: o quantum te: mea mater, amo.
Dicere hiante videtur jam jam velle labello,
    Atque tuo illius pendet ab ore anima.
O si quid merui, vatis subeat quoque cura;
    Blando me me oculo fac Puer adspiciat,
Fac quoque ut, foedum sit quamvis, hoc capiat cor:
    Si capiet, nivibus purius illud erit;
Nec mihi jam posthac, tibi vivam at, Virgo, tuoque
    Huic Puero, quo nil extat amabilius,
Seu gelidum resonis implet vagitibus antrum,
    Lactea seu ridens ubera forte petit.

(1) Ecce Magi ab Oriente venerunt. Joh. c. 2. et Psalm. 71. = Reges Tharsis et insulae munera offerent, Reges Arabum etc.

ELEGIA VIII.

AD VIRGINEM SE IN TEMPLO LUSTRATURAM.

Etsi Amor aethereâ gravidam te fecerit aurâ,
Dius et intacto prodierit gremio,
Naturâ mirante, Puer, qualis vitreum lux (1)
Effluit innocuo tramite per speculum,
Aut pellucidulam per aquam, tamen, o mea Virgo,
Candida, et a partu purior ipsa tuo.
Tu ne etiam matres inter lustranda profanas
Alta Palestinae templa petis Solymae;
Cura nec ulla subest, ah te ne, ignara virorum
Turba putet reliquis matribus assimilem,
Vulgaresque inter ponat male? Quo tuus ille
Nunc magnus cessit virginitatis amor?
Quo tua fama? istâ non certe lege teneris:
Lex ea in immundum lata puerperium est.
Nulla in te humanae fuerunt (2) contagia labis:
Nulla itidem in purâ culpa pianda manet
Atqui etiam geminas dulci fers dona columbas
Pro Gnato, niveis qui tibi ab uberibus
Abstractus patrias jam jam sistetur ad aras,
Ac superos terris pacificabit heros.
Hic aliquid certe majus latet: eja age custos
Aurato templi cardine pande fores.

(1) S. Basilius orat. in nativ. Christi = eamdem ad similitudinem = et Corn. a Lap. in cap. 2. Lucae.

(2) S. Bernardus Serm. 3. de Purificatione ait = Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum .... vere, o beata Virgo, vere non habes caussam, nec tibi opus est purificatione =.

Thure vaporatam, lustrali et rore Parentem
Excipit, quaeque tulit munera suscipias.
En subit ille: venit jam Virgo. Piacula prima
Facta. Licet sanctâ ponere in aede pedem.
Quisque locum tibi cedit, et admiratur euntem.
Tu dejecta solo lumina, corde preces
Concipis et tacito, pudibundo incedis et ore
Admissae veluti conscia si maculae,
Multarum una fores veluti si foemina: mirum
Ah! frustra quaeris jam decus occulere.
Te vultus tacitam prodit tuus. Aspicis? Unam
Te cupit, in te inhians ille Senex oculis
In mediâ gestit solam te visere turbâ:
Ut magnae praefert gaudia laetitiae;
Utque tuum amplexu Natum petit! o bona Mater,
Felicem optato pignore redde Senem:
Ne renuas cupido tantisper tradere Natum.
Dic age, quid viso tantum inhias Puero?
Quid tantum in pulchra tibi mens stupet Heroinâ?
Certe est et soboles nota tibi, et genitrix.
Ac veluti Eridani ripis, aut Asia circum
Flumina vicini conscius interitus
Laetior ingeminat jucundo gutture cantus
Albus olor: resonant et nemora, et sylüae:
Tu quoque sic nimium felix jam morte sub ipsâ
Fatidica ad suaves ora modos aperis.
Scilicet haud vitam producere (1) longius optas,
Cum jam pollicitam videris aetherio
Semine Progeniem, nostrum quae sanguine crimen
Eluet, et claro lumine discutiens
Noctem atram, late magnum quae sparsa per orbem
Mortales misere nigra acies hebetat,
Plorantesque, vagosque, et tantae lucis egentes
Nos ducet sedes Caelicolûm in superas;
Ulla nec Oceano tellus extrema refuso
Illius sese subtrahet a radiis.

(1) Accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit = Nunc dimittis servum tuum Domine etc. = Luc. cap. 2.

At quos tu memoras luctus? quae (1) dira parenti
Supplicia? anne ullus tam ferus extiterit
Qui non depereat puerum, qui mollia matris
Transadigat ferro pectora luctificos?
Ah metuas ne, Virgo: tibi jam pignora reddit
En Senior: quin tu sancta, quod instat, age:
Siste Patri Unigenam, cujus nunc fama feretur
Inclyta trans Indos; trans et Hyperboreos;
Cumque suâ matris quoque fama vagabitur ingens;
Magnanimum superis hoc, bona, si dederis
Munus, Diva. Videsne altum descendere coelum,
Mirari et cupido lumine coelicolas
Jam non infestos mortalibus aerumnosis?
Ipse Deûm tanto munere jam Genitor
Gavisus ponit minitantia fulgura dextrâ;
Ostia pro innumeris millibus una sat est.
O factum bene! Progeniem tu sistis ad aram.
O Puer, o humani unica spes generis
Rite Sacerdotum manibus nunc victima Patri
Dum tu magna volens sisteris, o nimium
Felicem his me si vinclis, si corpore solvas!
Primus uti in sedes nuncius Elysias
Adveniam, atque idem spectacli testis, ego hisce
Vidi oculis, dicam, vidi egomet, Proceres
Isacidae o fidi, Puerum, quem saepe vocastis
Solliciti multis non sine muneribus;
Quem fore victorem, quemque unum nostis Olympo
Vos posse, ac rutilis reddere syderibus.
Ipse Patri se devovit: Natum optima Mater
Obtulit immortale ausa animo facinus.
Audiet Heroum haec hilaris chorus: audiet Heva,
Illi et manabit conscius ore rubor.
Sin, hoc ne immeritus possim contingere votum,
Abnuis, at liceat dicere carminibus
Matrem, Sancte, tuam: licet mê ferre per ora
Haec ipsius facta, atque alia, atque alia.

(1) Ecce positus est hic in ruinam ...... et in signum Cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius etc. Luc. eodem cap. 2.

Tuque eris in carae Matris pars carmine magna:
  Suavius admixtum nomen utrumque sonat.
Annuit ecce Puer voto, tuque annue, Virgo;
  Donaque fac rata sint pro pietate meâ.
Omnia jam sperem: nihil est potis illa negare,
  Quae modo pro me Gnatum obtulit ipsa suum.

ELEGIA IX.

AD VIRGINEM STANTEM JUXTA JESU CRUCEM.

Si quid mê vere miserum contingere, si quid
  Mî potuit, fixo vulnere quod penitus
Ipsam sedem animae laniaret; contigit eheu!
  Id certe cum te, laeta prius Genitrix,
Laeta, et cunctarum fortunatissima matrum
  Hic video, hic cari supplicium capitis
Spectantem, et lethum, quo non crudelius ullum,
  Nec mage probrosum jam queat accidere.
Vae miserae! quali dicam te fervere luctu,
  Curarum quantis millibus intus agi?
Quamque alto absorbens aerumnae (1) vortice amaror
  Tristis in abruptum te pepulit barathrum?
Nam mihi quid matrem (2) memorant Ismaelis? et illum
  Quid nati postquam (3) sanguineas retulit

(1) Juxta illud Thr. 2. = magna est velut mare, contritio tua etc. = cum prius dixisset Jeremias = cui assimilabo te, aut cui exaequabo te, filia Jerusalem?

(2) Intellige Agar, cujus in Genesi fit mentio cap. 16.

(3) Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hoedi, quem occiderant, tinxerunt ...... scissisque vestibus indutus est

Exuvias fraterna manus, patrem externatum
    Et gemitu, et luctu perdito? uterque dolor
Magnus, at aequandus non isti: vincis ut omnes
    Prolis amore, ipsâ et moestitiâ superas.
O mater, quid jam mater? Tune illa beata,
    Aetherea et felix dicta parens sobole?
Tune illum edideras, quo non formosior alter,
    Non erat in terris alter amabilior?
Heu, nimium brevis ille fuit decor; heu nimium flos
    Ille cito casu languit aridulus!
O ubi caesaries flava est, ubi candor, et ille
    Purpureus niveo mixtus in ore color?
Quale rosis lac puniceis si sparserit, aut si
    Ostro inflammarit candidulum quis ebur.
Illa ubi delituit species? ubi lumina, sydus
    Ah! geminum, et dulci dulcia melle magis
Verba, leposque, quibus per frondiferas convalles,
    Perque juga, et saltus, et nemora, et scopulos
Attonitum, oblitumque lares, ac tecta trahebat
    Post sese dio vescier alloquio
Optantem vulgum. Vix ipsum agnoscere mater
    Nunc potes: effusus lurida membra cruor,
Liventesque notae fllagorum unde undique foedant,
    Vulneraque inflictis addita vulneribus,
Ulla nec in lacero pars integra corpore restat,
    Nullaque vulnifico pars caret exitio.
Tempora, proh! spinis cohibet paliurus acutis;
    Harum aliae infixâ cuspide per cerebrum,
Perque genas fecere viam, miserabile visu,
    Horrendumque! oculos per medios aliae
Luctificam exertant aciem, madidamque cruore:
    Qui partim guttatim imbre fluit tepido;
Partim etiam undanti rivo per membra volutus
    Ubertim duros irrigat et lapides.
Nate Deo, ah, nimium fluxit jam sanguinis, ah! jam
    Parce, precor: cur nam te amplius excrucies?

(Jacob) cilicio lugens filium suum (Joseph) multo tempore .... noluit consolationem accipere; sed ait: descendam ad filium meum lugens in terram etc. Genesi cap. 37.

Tanti igitur mortale fuit genus? huccine tandem
    Nostra salus; huc te nostri amor abripuit?
Poenarum satis exhaustum : jam desine, et ipsi,
    Ne tibi vis matri, lux mea, parce tuae:
Quae moesta attonitos nusquam declinat ocellos
    A te jucundo Germine; nil loquitur:
Sed stat, et (1) aegrescens pallet ceu saxea, fletus
    Et premit (2) aegrescens, saxea uti effigies.
Nempe et verba dolor, moesta et suspiria magnus
    Obruit, atque ipsis clausit iter lacrymis,
Ne quod sollicitae lenimen forte veniret,
    Neu minor in penito cura animo fureret.
Una duos dabit exitio, lux ipsa Parentem
    Heu, rapiet, Gnatum quae rapit exanimem.
An non suffixum sic foedo in stipite Mater,
    Sic te discerpto corpore suspiciens,
Pallentemque, aegrumque, et lethi limine in ipso,
    Protinus ereptis sensibus ipsa cadet?
Infelix: non certe illi praecordia circum
    Stat lapis, aut duro dura riget chalybe.
At rigeat: tellus nonne ipsa excita dolore
    Bruta cavernosis ingemit e latebris?
Velle minatur et horribili subsidere hiatu
    In Styga: flent montes, fliminaque, et nemora.
Neu tantum adspiciat Titan scelus, obruit atro
    Axe jubar, nigram conditus in nebulam,
Ardentesque oris radios extinsit, et auream
    Detraxit flavo caesariem capiti
Umbrarum per opaca horrens, cui sanguine sparsa
    Jam soror atratos obvia jungit equos,
Inducitque polo stellas, quae triste micantes
    Funereas referunt, nocte silente, faces.
Quid Mater? quae dira suus quot vulnera Natus.
    Corpore habet totidem saucia sentit amans

(1) Ioh. cap. 19. = Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror etc. =

(2) Juxta illud S. Ambrosii Consol. in Valentin. obit. dicentis de eadem = Stantem lego, flentem non lego etc.

Cuncta suis impressa locis. Amor insidet illi
Et laevo in miserae sculpit atrox latere
Exanimem Nati effigiem, teloque cruento
Ipsius usque instans pectora transadigit.
Ferreus, ah! certe est, et ferro durior ille,
Qui tantam potis est cernere saevitiem!
Parce, amor, o quovis crudelior hoste secare
Multifido innocuae Virginis ense sinum.
Ecce suae in Matris noscit se pectore Gnatus,
Illa refert Gnati vulnera quaeque sui,
Sauciat atque parens gnatum, gnatusque parentem:
Alter et alterius pendet ab ore tamen.
Num nam etiam audebit cari moestissima Virgo
Perferre extremum Pignoris interitum?
Ipsaque frigidulos manibus componere ocellos,
Sparso et sanguineas tergere crine notas?
Illinc, ah, cede procul: Gnati latus impetit hastâ
Miles, et aeratâ cuspide cor terebrat.
Ah, procul hinc concede! A parvâ Virgine noram
Magnanimam, sed quae maxima jam potuit
Esse, fuit virtus: simul ipsa animam exhalabis
Cum Nato, ipsa cades victa dolore simul.
Jamque labat: comites o fidae abducite Divam;
Nullus et extincti nuncius adveniat.
Incolumem servate: illi dum causa doloris
Filius, edomitâ morte Erebique duce
Victor ovans clarâ det sese in luce videndum,
Spargat et optatae munera laetitiae,
Ante alios Matri ostensus, cujus mihi luctus
Nunc ipsam et vocem surripit, atque animam.

ELEGIA X.

AD VIRGINEM TERRIS DISCESSURAM.

Quod mihi curarum saevis tot fluctibus acto
In vitâ reliquum dulce levamen erat,
Coeperat et quo uno mitescere tristis amaror,
Atque dolor fieri in pectore jam levior,
Sollicitum qui me tenuit, qui mi expulit omnem
Laetitiam, ac suaves delicias animi,
Ex quo deseruit tua nos illa aurea Proles,
Ille Deus magni Numinis Unigena;
Id quoque nunc raptum, Virgo, mihi: scilicet ipsa
Coelicolum properas addere te choreis
Astra super, longe a terris flammantia templa:
Gaudia tecum una, tecum abeunt charites,
Et nostras quaecumque valent solatia mentes
Lenire, et tristem demere moestitiam:
Nam qualis per prata, nigrae post nubila brumae,
Post et Threicii saevitiem Boreae,
Lenior aspirans genitabilis aura Favonî
Surgit adorâto Chloridos e thalamo;
Aut qualis tumidum nautis pavitantibus aequor
Lucida hyperboreo stella sub axe micat;
Talis erat nobis, Virgo, tuus, aurea, vultus,
Tali praesentes usque juvabat ope.
Scilicet una aderas mortalibus aerumnosis,
Quacum nil illis triste timere fuit;
Qua sine nec gratum contra, nec amabile quidquam est;
Cui me, cui flentes deseris, ah, socias
Thaboridas Nymphas, Nymphas Libanitidas? Esse
Profuit expertem quid patrii sceleris;
Quid magnum intactâ Numen genuisse sub alvo,
Non minus ingratae funera Persephones

Ipsa etiam si tu subeas, fatoque peremta
  Heu! propero hinc alias abripiare plagas.
Nonne tuum est quodcumque vides? Tibi sydera mundi,
  Hic varius rerum vertitur ordo tibi;
Et perfusa tuo formosa est lumine tellus;
  Adspectu et recreas quidquid ubique viget.
Omnia quae contra nunc squallent; omnibus omnis
  Effugit e rebus, te fugiente, decor;
Atque atrae adparent facies: ipse ignea Titan
  Auricomus rutili languidior jubaris
Spicula diffundit; quae dum sublimis ab axe
  Lustrat Idumaei Thaboris hospitia
Eque tuis, Virgo, succendere suevit ocellis,
  Et fieri adspectu clarior ipse tuo.
At non ille miser, neque enim pote noscere damna;
  Nos miseri, nos hic perdidit interitus.
Qui bona quot rapuit nobis, tot munera laudum,
  Tot tibi nunc meritae gaudia laeta feret:
Ut quae una hic fueras pulcherrima formosarum,
  Sis quoque in aethereâ maxima honore domo.
Debuit anne diu in terris haec forma morari,
  Aut laude haec virtus tanta carere diu?
Hoc igitur quamquam sit continuis lamentis
  Deflendum nobis flebile dissidium,
Jam non et doleo, laetor magis: anne Parentis
  Aethereae meritis laudibus invideam?
Jam pridem o coelo digna, et fulgentibus astris
  I, Regina, domos ingredere o superas.
Sat tellus tibi culta diu est: nunc regia coeli
  Te vocat effuso celicolûm thiaso
Effulgens late: tibi plaudunt sydera, et una
  Aurea flammeolo (1) serta parant capiti
Ecce altae patuere fores: viden' omnia Divûm
  Agmina in occursum laeta volare tuum.
Ardenti viden' ut taedas dum quassat olympo,
  Pulcrâ Amor ut pulcher fulgeat in clamyde?

(1) Apocal. 12 .... Et in capite ejus corona stellarum duodecim etc.

Ille praeit nubem, qua tu levis astra subibis,
Flaventis rutilam lumine chrysoliti,
Ac variis mirâ arte coloribus intertextam,
Iris ceu suevit fulgere versicolor.
Qui fremitus circa comitum, quae carmina, quantus
Undique odor suavis funditur ambrosiae?
I felix; verum ipsa inter tot culmina laudum,
Tantaque coelestis gaudia concilii,
Si bene quid de te merui, ne sperne jacentem,
Neve sine immemori me effluere ex animo.
Ah, procul iste metus! non es, quam gloria mutet:
Hinc cedes, nostri sed memor usque feres (1)
Sydereo magni e solio Regina Tonantis
Optatam in duris provida rebus opem.
Usque aderis terris: sua per te fulmina ponet
Jam Deus; et fontes pandet opum omnigenos,
Orantem quoties blande conspexerit: isti
An Matri quidquam deneget Omnipotens?
Sed levis ex humili surgens tellure per altum
Jam veheris, jam nos deseris aethereis
Circumfusa choris, rutilasque evecta per auras
Languidulis te te subtrahis ex oculis.
Jamque lates: qualis (2) quondam quum suave halans thus
Uritur, aut tosti gramen Achemenii,
Excitus ille solet multo vapor igne per aras;
Qui late in campos diditus aerios
Fragrantique hilarans minus, atque minus loca odore
Spectantûm cupidâ defluit ex acie.
O ubi es? ah liceat nutantibus aera pennis
Findere, et aurati limen adire poli,

(1) S. Bernardus serm. de Nativit. Virginis = Sic est, ait, voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per Mariam: et Augustinus = Sicut omnibus sanctis est potior, ita omnibus sanctis pro nobis est sollicitior etc. =

(2) Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii etc. = cap. 3. Cantic.

Aligeros inter juvenes quum regna triumpho
    In tua regifico vecta pedem intuleris;
Quumque tibi dulci(1)occurrens cum Conjuge Proles,
    Ostendens et opes, quas habet illa domus,
Imperii sociam, bona Diva, acceperit. Ut te
    Coelicolae adtonito lumine suspicient
Ut subito impleri laetum dulcedine pectus
    Quisque novâ adventu sentiet, alma tuo!
Ipsa autem immenso divini in lumine vultus
    Absorpta ut penitis sensibus exilies!
Cur tenet, ah, tellus? utinam super aethera vecter.
    Aoniis valeat lympha petita jugis.

(1) Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens innixa super Dilectum suum? Cantic. cap. 8.

DEI GENITRICI MARIÆ

REGINÆ CÆLESTI

FRANCISCI MARIÆ ZANOTTI

ELEGIÆ XIII.

ELEGIACORUM LIBER III.

AD ANIMAM

B. MARIÆ VIRGINIS

IN IMMACULATO EJUS CONCEPTU.

ELEGIA I.

O una ante omnes, quot sunt, pulcherrima formas,
Quas Deus in tacito versat adhuc animo,
Exspectata diu terris, postquam arbore sacra,
Anguis tartarei femina capta dolis
Ausa est, heu miseram, letale excerpere pomum,
A quo sunt nobis omnia nata mala;
Ah si quid nostri miseret, demittere ab alto
Jam caelo, et rebus, quod potes una, hominum,
Et misero succurre orbi: quid lenta moraris?
Quin Annae castum laberis in gremium?
Hic te formosum puro de sanguine corpus
Membraque virgineo plena decore manent.
Ac si te virtus, et gloria tangit avorum,
Et placet antiqua nobilitate genus,
Non te poeniteat Davidis de semine natam
Dicier: in mediis sit licet ortus agris.
Ille ursos fertur, fertur domuisse leones,
Nec Philistaeûm pertimuisse minas
Tempore, quo Isacidum turmas perterruit omnes
Unus terribili maximus ore gigas,
Qui cum totam aciem nequicquam in bella vocaret,
Ecce puer flavus prodiit in medium.
Non me, neve Deum posthac contempseris, inquit:
Tum fundae praedurum imposuit lapidem,

Quem deinde exsultans ter circum tempora volvit,
 (O miros ausus!) inque feri faciem
Conjicit, et fulva Goliattem extendit arena.
 Ipse Saul tanto obstupet in puero.
Et tibi, si in sanctae ventrem te immiseris Annae,
 Laus erit in proavis hunc habuisse tuis,
Heroasque alios illa de stirpe creatos,
 Magnanimos reges, magnanimosque duces,
Quos tecum recoles, materna condita in alvo;
 Admirans generis grandia facta tui.
Et te laudabunt illi. Gaudebit Jacob
 De sibi vel seram progeniem fieri,
Agnoscetque suam Rachel pulcherrima neptem.
 Ah! propera, et membris jungere, Diva, tuis.
Neu timeas, ne quod veteri de crimine in illis
 Aut vitium, aut macula vel levis insideat.
Nam fibras omnes cordis, cerebrique recessus
 Omnes, et sedes atque vias animi,
Quas vetus illa lues solita est contingere, cunctas
 Terque quaterque suis tersit Amor manibus,
Virtutumque aderat chorus: et Spes nescia falli,
 Et quae Spem nunquam non praeit, alma Fides,
Quas comitabatur caelo delapsa sereno
 Gratia, stellanti corpora veste tegens,
Quam simul ut vidit venientem lethifer anguis,
 In stygium se se proripuit barathrum.
Quare age, Jesseis laus accessura puellis,
 Spes hominum, felix atque potens Anima,
Advenias bona jam, atque infans pulcherrima fias,
 Virgo olim magno digna futura Deo.

AD

B. MARIAM VIRGINEM

NASCENTEM.

ELEGIA II.

O quam nascentem primum nunc excipit orbis,
Quae missa e caelo, dia Puella, venis,
Ah nostri ne te capiant fastidia mundi,
Sit licet antiquo implicitus scelere;
Nam quocunque tuos vertes, pulcherrima, ocellos,
Diffugient fraudes, diffugientque doli.
Quam bene, dum casta mater te ferret in alvo,
Pressisti inferni triste caput colubri,
Qui frustra in tenera culpam quaesivit Adami!
Ex illo te unam tartara nigra tremunt.
Nec tibi sollicitae audebunt se ostendere curae,
Quae circum humanos pervolitant animos.
Spectandum interea magnus tibi se dabit orbis,
Quem mira aeternus condidit arte Pater.
Aspice, quos pariat rebus lux alma colores,
Unde suum accipiunt corpora quaeque decus.
Illam sol rutilus caelo diffundit ab alto,
Purpureum roseo dum vehit axe diem,
Qui postquam occiduis praeceps se condidit undis,
Succedit tacitis humida nox pedibus.
Ac tum stellarum juvat adspexisse choreas,
Quas ducit niveo lumine luna micans.
Hanc tibi, si nescis, similem dixere parentes,
Natalem prisci quum cecinere tuum,
Nam claram illius faciem purumque nitorem
Contulerunt formae, pulchra Puella, tuae.

Sed si te videat, non jam se conferat illa;
    Quamvis et soli certet, et astra regat.
Neve aurora tibi, neu se tibi comparet Iris;
    Optatum quamvis illa diem referat;
Haec etiam terris, ut sunt oracula vatum,
    Antiquae memoret foedera amicitiae.
Namque olim pluviam immensam Regnator olympi
    Misit, ut humanum perderet omne genus.
Sed caeli sacer interpres, doctusque futuri,
    Sensit venturas ante Noemus aquas,
Et sibi labentem fecit super aequora currum:
    Qui, postquam nimborum ille furor posuit,
Æquoris incertus, longisque erroribus actus
    Verticibus tandem sedit in Armeniis.
Viderat Omnipotens illum; nec sit mihi! dixit,
    Unam, quae reliqua est, perdere velle domum,
Hanc servo. Servaboque. Iris sit mihi testis.
    Audiit haec Iris, et bona verba probans
Continuo mirum duxit sub nubibus arcum,
    Æterno memoret qui sua pacta Deo.
Hanc inter nubes quam te spectasse juvabit?
    Dum spectas; quaeso, nubila nulla tonent.
Fulgura nec, caelum, misce; nec fulmina jacta;
    Dissolvi lentas sit satis in pluvias.
At tibi ne tantum placeant, divina Puella,
    Caelestes tractus, nubiferaeque domus.
Est etiam terrae sua laus. Hic prata virescunt:
    Hic pubens multo flore renidet humus.
Hic caelo surgens se frondibus induit arbor,
    Qua fons irriguis gramina lambit aquis
Nec te peniteat, veniet quum firmior aetas,
    Ardua Carmeli per juga ferre gradum,
Et procul aerias Solymorum cernere turres.
    Te cava frondosi Thaboris hospitia,
Te Libani exspectant, si non contempseris, umbrae.
    Sedit in his quondam maximus ille David.
Hic Salomon, dum te venientem exspectat, amores
    Est solitus teneris ludere carminibus.
Hic sacri vates unam te saepe vocabant,
    Moerentes, longas temporis esse moras.

Tunc laudes resonare tuas, et dicere nomen
    Jerichus, et celsi rura beata Cades,
Et cupressiferi didicerunt antra Sionis.
    Ah, quae te norunt, ne loca despicias.
Quod si, Diva, oculis terram dignabere nostram
    Aspectu fiet pulcherior illa tuo.

AD

B. MARIAM VIRGINEM

SE SE IN TEMPLO OFFERENTEM.

ELEGIA III.

Quo te, Virgo, rapis, pulcherrima? Siccine matrem,
    (Heu miseram matrem) deseruisse potes?
Quae te ferre sinu, tibi quae narrare solebat
    Tam multas prisci temporis historias?
Quid miserae fiet, quum tu discesseris? unum
    Credin' eam sine te vivere posse diem?
Sic ego dicebam. Illa sacras properabat ad aras,
    Indignata hominum Diva habitare domos.
Ceu globus obscura interdum sub nocte coruscans
    Emicat, et nubes transvolat aerias,
Qui turres super excurrens ac tecta domorum
    Omnia perfundit lumine purpureo.
Attollunt homines vultum, quid luminis id sit
    Ignari, et flammam conspiciunt volucrem;
Ast illa interea haud longo secat aera cursu,
    Et subito sese proripit ex oculis.
Haud aliter, superum dum vult invisere sedes,
    Concita divino numine Virgo abiit.

Excepit Deus ipse illam, de limine templi
    Obvius, inque domo condidit ipse sua.
Anna parens, tenerae curam jam pone puellae.
    Terge oculos. Te cur amplius excrucias?
Si nescis, nunc illa boni praecepta magistri
    Audit, perque artes excolit ingenium.
Et studium est illi aut sacros exscribere libros,
    Et minio primas fingere litterulas,
Aut annos numerare, et nomina discere regum.
    Postea quae servat pectore sub memori,
Et modo ut Omnipotens mundum formaverit, utque
    Peccarit vana conjuge falsus Adam
Accipit, et miserae fortasse irascitur Evae.
    O Eva infelix, quod tibi consilium,
Quae ratio fuit, ut funestum carpere pomum
    Velles, et caro porrigeres juveni?
At tu, Virgo, genus licet illa infecerit omne,
    Ignoscas; non te dira lues tetigit.
Nos miseri urgemur fato, nobis scelus illud,
    Et mors, et luctus cum scelere incubuit.
Qui tamen ut sumus, annales ne despice nostros;
    Volvere neu libros taedeat Isacidum.
Invenies illic, veterum dum facta parentum
    Colligis, atque tuos sedula quaeris avos,
Quam multae exstiterint nostra de stirpe puellae
    Praestantes forma, et pectore magnanimo.
Sed neque te Rachel, fidum quae torquet Jacob,
    Nec quae jura suis Debora dat populis,
Nec te detineat Jahel, nec fortis Judith,
    Sit quamvis caeso nobilis Assyrio:
Invenies aliam, quam post volventibus annis
    Venturam vates praecinuere sacri,
Quae stellas ante et solem lunamque creata,
    E caelo veniet missa Deo mulier,
Praeclaram ut pariat sobolem, et scelus expiet Evae.
    O felix! quantum ventre geret puerum!
Huic uni assurges, atque hanc veneraberis unam,
    Omnibus hanc unam matribus anteferes,
Dignam, cui placida Jordanus serviat unda,
    Aurea cui dives munera mittat Ophir.

Dum tamen hanc legis, ab Nati ne funera quaere.
Hei mihi, quos luctus continet ille locus!
Neu cupias, si quem misere et post verbera longa
In cruce suffixum forte legas juvenem,
Infandum scelus, et crudelia discere facta.
Quaere illos potius, pulchra Puella, dies,
Quum tumulo surgens divinae Matris alumnus
Regnabit tandem victor in arce sua,
Et claustra umbrarum franget, domitique draconis
Infiget caeli postibus exuvias.
Tunc sibi stellanti cinget diademate frontem
Mater, et incedet maxima coelicolum.

AD

B. MARIAM VIRGINEM

AB ANGELO SALUTATAM.

ELEGIA IV.

Nam quid te rerum, Virgo pulcherrima, terret?
Quid subitus tacito pallor in ore sedet?
Quem spectas, qui te alloquitur, tibi missus ab alto
(Exue dia metum) nuncius Ales adest.
Is levibus pennis tranavit nubila caeli:
Et verbis magni te rogat ille Dei.
An votis igitur, et spe frustratus inani
Moereat, inque domos coelicolum rediens
Non potuit, dicat, Virgo purissima flecti,
Non potuit. Voces respuit illa meas?
At non hoc Abraham, non hoc speravit Jacob:
Non tuus ille David, quem cecinisse ferunt

Olim Jessea venturam e stirpe puellam,
    Quae fama una omnes vinceret Isacidas,
Communem humano generi paritura salutem.
    Omnia quae perdant diripiantque noti,
Caelesti si tu Puero parere recusas.
    At, sanctus pulchrae virginitatis honor
Te capit. An Virgo non tu servabere? Quod si
    Spes est vana: rubum quid mihi vel Moysis,
Quid mihi vel narrant Gedeonis nobile vellus?
    Ah, Virgo, aetherio adnue jam Puero.
Adnuit; et roseos vultus, oculosque modestos
    Demittens, ut vis, sic mihi fiat, ait.
Quod simul ut dixit, magno concussa fragore
    Moenia sunt mundi. Jam Deus ecce Deus
E coelo ruit, et sanctos illabitur artus;
    Ac dum sese utero miscuit Omnipotens,
Concepit sacrum Virgo sine semine fetum.
    Natura id fieri sensit; et obstupuit.
Non secus atque olim audita quum voce Tonantis
    Obscuris subito e latebris nihili,
Miratus formam ipse suam, novus exstitit Orbis.
    Ac visae primum tunc pecudum facies
Per solos errare agros, pictaeque volucres
    Ignotis nidum ponere in arboribus.
Et jam sol rutilus magno incedebat olympo:
    Volvebant se se sidera in oceanum.

DE

B. MARIA VIRGINE

ELISABETHAM VISENTE.

ELEGIA V.

Haec igitur juga, et hos scabros conscendere montes
  Audeat ignotas Virgo secuta vias!
Atqui illa nec candidior neque mollior ulla est.
  Et nova virgineo pondera fert utero.
Nam modo, quum vis illi insederit Omnipotentis,
  Ipse Deus castum se intulit in gremium.
Tu, Gabriel, tu nempe auctor, tu causa laboris:
  Qui ut carae venter creverit Elisabeth,
Narrasti ignarae: tunc illi iniecta cupido est,
  Ut longe absentem visere vellet anum.
Quanti erat id reticere! en ut studiosa abeundi
  Jam patitur nullam pulchra puella moram.
Ah illi, o cunctos inter pulcherrime divos
  Magne Ales, longae sis comes usque viae.
Et quacumque ierit, teneram defende puellam,
  Ne sol, ne capiti frigida nox noceat,
Neu serpens, neu quis morsu canis appetat illam.
  Ac nimium, superat dum juga, ne properet,
Injice sermones jucundos inter eundum.
  Scis tu, virgineum quae capiant animum.
Forsitan ut notum decus oris viderit, et te
  Aligeris unum noverit e pueris,
Ipsa rogans quaeret, quid agatis in aethere summo,
  Ut sua traducant tempora caelicolae.
Tu nil celabis: mores et munera divum
  Narrabis; regnum noscat ut illa suum.

Scire etiam valet, interea dum montibus altis
    Ipsa errat, rerum quid gerat Elisabeth:
An neat, an pulchro variet velamina textu,
    An potius libros, ut solet, illa legat;
Adventumne suum ignoret, an nuncius illi
    Sidereis de se venerit e domibus.
Ipsa quidem agnatae, dum mollia stamina nectit,
    Ex improviso mallet adesse suae;
Quae subito adventu carae perculsa puellae
    Protinus excusso prosiliet calatho.
Dum se se amplexu excipiunt, atque oscula miscent,
    Nec bene compressis ora rigant lacrymis,
Ah tu sermones jam, Gabriel, insere nullos.
    Altera ab alterius pendeat alloquiis.

AD

B. MARIAM VIRGINEM

DE EJUS PARTU.

ELEGIA VI.

Quam pulcher de te, bona Virgo, prodiit Infans!
    Dispeream, si quid pulchrius esse potest.
Quam similem, si te videas, tibi dixeris esse?
    Purpureas, ut tu, sic habet ille genas,
Os movet, et blandos, ut tu, convertit ocellos,
    Ah quae tam pulchrum, diva Parens, Puerum
Edideris, scabro non te peperisse sub antro
    Taedeat, immundi neu pudeat stabuli.
Augurор. Hoc toto stabulum celebrabitur orbe;
    Jamque in memnoniis nomen habet domibus:

Jam veniunt (audistin' equos currusque sonantes ?)
Magnanimi veniunt, qui tibi dona ferant,
Primores Arabum, et rupem hanc stabulumque requirunt.
Scilicet et seris munera temporibus.
Innumeri huc mittent populi: et quas maximus Ister
Alluit, et qui Athesin Eridanumque bibunt.
Eventura cano en sacris dejecit ab aris,
Et veteres, ridet maxima Roma Deos,
Et verum agnoscens divumque hominumque parentem,
Natalem sancti concelebrat Pueri.
Aspice, ut imponit simulata altaribus antra,
Addit et e paleis effigiem stabuli,
Bethlemiasque colit rupes sub imagine parva:
Stat circum effusi maxima vis populi,
Arrectusque piis praebet sermonibus aures,
Quos recitat pavidus mente puer memori.
Quam multi interea praestanti carmine vates
Nascentem certant tollere ad astra Deum!
Fallor, an arcadio veniens ab littore turba
Nescio quae ripis sedit in Ausoniis?
Quae sibi Saturnum quemdam, camposque beatos
Fingit, et Evandri se putat esse genus;
Ac sibi dum pingues meditatur versibus agros,
Thybridis in viridi litore pascit oves.
Thybri pater, parvam quaeso, ne despice gentem:
Rege sub Evandro tu quoque parvus eras.
Tuque adeo, magni reseras qui limina olympi,
Caelestumque sedes ianitor ante fores,
Regia quem Ditis metuit, cui sidera parent,
Lambertine, tuo numine dexter ades:
Laus est felsineo tibi maxima ab Idice; surget
Et tibi servata nomen ab Arcadia.
Haec quoque tempus erit (praesens modo faveris illi)
Annua cum sacro vota feret Puero.
Et Matris magnae in laudes dum mollia flectet
Carmina, et alternis ludet arundinibus,

Septem romani resonabunt undique colles.
    Felices colles, quis mihi jam Sinaim;
Quis mihi frondosi memoret jam culmina Orebi?
    Vos ego vel Libani praefero verticibus.
Salvete, o colles sancti; salvete, recessus
    Caelitibus sacri, fluminaque, et nemora,
Grata Deo sedes. At quae quae nomina vestris
    Pastor nescio qui sculpsit in arboribus?
Hic mihi quid Nemesis legitur, quid candida Phillis,
    Lesbia quid flavis conspicienda comis?
Cur fugiens illic narratur Delia, Moeris
    Quam sequitur, servat dum Meliboeus oves?
Ah istos versus, isthaec jam nomina sacris,
    Arcades, ah! sacris demite corticibus.
Scribite in his Puerum, quo non formosior alter,
    Non fuit in terris alter amabilior;
Seu placidus blandos sopor illi operiret ocellos,
    Seu Matris casto luderet in gremio.

IN

B. MARIÆ VIRGINIS

PURIFICATIONEM.

ELEGIA VII.

Quum patrias se se Virgo purgaret ad aras,
    Coelestem Virgo quae peperit Puerum,
Et geminas prisco gentis de more palumbes
    Ferret, et, en purgo me tibi, magne Pater,
Diceret; ipse Deus coelo subrisit ab alto.
    Nam quid purgari te, bona, opus fuerat?

Non tecum hoc pulcher pepigit jam Gabriel, esset
    Ut tibi perpetuus virginitatis honor?
Sanctus ab intacta tibi non Puer exiit alvo,
    Quum te virginei nobile ventris onus
Ponentem scabro stupuit natura sub antro?
    Plauserunt omnes tunc tibi coelicolae.
Nam veluti aetherias ubi lux diffusa per auras,
    Quam versat roseo sol pater e gremio,
Obiecti impellit splendentia corpora vitri,
    Aut pellucidulae lene fluentis aquae
Perfacili sese transmittit tramite; at illa
    Nil penitus mutant, et sine labe manent.
Miratur dubius rerum scrutator, et haeret,
    Nec bene scit, qua lux candida transierit,
An solidas vitri quod partes permeet ipsas,
    An potius vacuis lapsa foraminibus.
Sic Puer omnipotens quum se producere vellet,
    Evasit casto Virginis ex utero.
Ista quid huc igitur spectat purgatio? non hanc
    Constituit Moyses, hanc tibi non Abraham.
Sed quid ego haec loquor? Illa sacri jam limina templi
    Occupat: aeratas jam sedet ante fores:
Jam reliquis miscet se matribus: en prece quanta
    Se purgat, sanctis non sine muneribus!
Ah! Matrem dimitte, et munera redde, sacerdos.
    Exstitit a partu purior illa suo.

DE B. MARIA VIRGINE

JUXTA CRUCEM STANTE.

ELEGIA VIII.

Siccine te duro pendentem e stipite, et atro
   Undique manantem sanguine conspicio,
Mundi rex et cunctarum sator optime rerum?
   Nec tua, nec magni gloria magna Patris
Te movit, tantam ut velles avertere caedem?
   Nec tibi sollicitae Matris amor subiit?
Quae nunc quanta imo suspiria pectore ducit!
   Ut tergit nivea lumina saepe manu!
Et mortale genus tanti fuit? ad quid Adamum
   (Sit nostri quamvis ille parens generis)
Educi e nihilo, vanam quid oportuit Evam?
   Ut nempe antiqui nescia quae sceleris
Una fuit mulier, purissima quae fuit una;
   Hanc premeret tantus, obrueretque dolor?
At non hoc miserae quondam promiserat Ales,
   Qui superis illi nuncius e domibus
Non expectati praedixit gaudia partus.
   Qualia tum cecinit regna, quot imperia
Protulit? hoc illi est regnum; sic imperat astris.
   Nunc Natum, quem unum semine ab aetherio
Ventre pio excepit, Natum, quem diligit unum,
   Suffixum duro in robore, semianimem,
Confectum plagis videt, atque immobilis haeret.
   At vos, o comites, (nam quid opus lacrymis?)
Vos, fidae comites, quin hinc abducitis illam?
   Crudeli ne igitur victa dolore cadat,

Ipsa sui spectans crudelia funera Nati?
Felix, cui dudum contigit oppetere,
Quem non his fortuna malis servavit, Joseph!
Quamvis ille gravem pauperiem tulerit,
Ærumnasque incredibiles, longosque labores;
Quamvis et Nato et Coniuge cum tenera,
Immitis fugiens odium crudele tyranni,
Exul, inops terras iverit in Pharias;
Non haec dira tamen, non haec tam immania vidit,
Nunc inter manes pervolat ille pios.
At tu, curarum quamvis absorbeat aestus
Immeritam, et tantis fluctibus abripiat,
Sume animum, Virgo. Non haec sic semper abibunt.
Hic jam, quem ploras, Filius, hic erebum
Jam petet, invictusque animi, et virtutibus ingens
Diffringet regis limina tartarei,
Quas strages edet, quae funera; dum sua mittet
Sub juga taenariae robora militiae!
Non nequicquam illi pater est, qui sidera torquet.
Ast nulla attactas labe, pias animas,
Fatidicos vates centum, centumque potentes
Bello armisque duces; ingenuos pueros
Ingenuasque nurus centum, castasque puellas,
Sanguine quum totas ipse suo abluerit,
Educet tenebris tandem, et secum inferet astris.
Haec tecum, quid fles? haec memorare juvat.
Aspice, ut aurato jam jam succedit olympo
Victor, ut exsultans jam sua regna tenet.
O quot penningeri juvenes comitantur ovantem!
Quos cantus edunt! quas agitant choreas!
Qualis per medios quantusque incedit Joseph!
Ne dubita: non est immemor ille tui.
Quamvis astra premat, quamvis splendore coruscans
Immenso, sua jam gaudia vix capiat,
Te tamen exspectat, te quaerit, te vocat unam,
Et penitus toto diligit usque animo.
Eia igitur, Mulier, coelo dum tanta parantur
Gaudia, dum superum te domus alta manet,
Tu persta, et casus omnes obnitere contra,
Utque facis, perfer pectore magnanimo.

DE

B. MARIÆ VIRGINIS OBITU

EJUSQUE IN COELUM INGRESSU.

ELEGIA IX.

Scilicet hunc etiam luctum exspectabat Judas,
(Pro genus infelix!) has etiam lacrymas,
Ut quae Iesseas inter pulcherrima matres
Ibat, coelestis magna Parens Sobolis,
Hac etiam amissa et crudeli funere mersa,
Funere quo nobis omnia ademta bona,
Thaborides flerent, flerent Libanitides omnes?
O nata Isacidum natio ad omne malum!
Quid si illam primi labes tetigisset Adami?
Irascor culpae jam minus, Eva, tuae.
At fertur magno regina incedere olympo,
Credo equidem, et vita jam meliore frui;
Et regni nunc forte sui cognoscere fines
Gaudet, et eoos visere et hesperios,
Stellarum mores varios et nomina discens;
Sive placet, Michael, castra videre tua,
Teque audire, tuas dum lustrat Diva cohortes,
Narrantem juvenum praelia pennigerum:
Namque olim est ausus coelum obsidione tenere,
Et ferre in magnum Belzebub arma Deum.
O quas tum clades, quantas egisse procellas
Coelestum fertur lecta manus juvenum!
Quae Michael Divae nunc forte ex ordine pandit,
Ostenditque locos; utque suas acies

Moverit, et monstrum tandem exturbaverit astris.
Vultu illa atque oculis grandia facta probat,
Et spolia e summa pendentia suspicit arce.
An, dum illi haec narrant, templaque coelicolum,
Fulgentesque domos, et vasti limen olympi
Spectat, Judeae sit memor illa suae?
O utinam, veteris repetit si opprobria culpae,
Non etiam humani poeniteat generis.
Ah ne forte, illi si quando occurrerit, Eva
Fallacis memoret insidias colubri,
Infandam pueri neu caedem narret Abelis.
Illinc humanum dedecus omne venit.
Felices illi, quos omni labe solutos
In sedes Christus transtulit aetherias,
Impia quum stygii perfregit claustra tyranni!
Scilicet his pompas, Virgo, videre tuas,
His voces audire datur, datur ora tueri.
Nos miseri hic vanis conficimur lacrymis.
Jam quid ego invisis aut cur his demoror oris?
Quid mihi jam vita hac tristius esse potest?
Ah ferar in coelum; seu me nimbosus Orion,
Sive suis Hyades excipiant domibus.

IN FUNERE

B. MARIÆ VIRGINIS

LICONIS VOTUM.

ELEGIA XI,

Quam felix coelo, quam laeta dies fuit illa,
Quum Virgo, aeternae magna Parens Sobolis,
Tranabat nubes, seseque ardentibus astris
Miscebat! Quae vos gaudia tum, Superi,
Quae nova tum cepit, neque dum exspectata voluptas?
At me, dum nulla re magis excrucior,
Quam ut te, Virgo parens, videam, vestrosque triumphos,
Idque unum toto pectore discupio,
Nec mihi, quod tu scis, cura est antiquior ulla;
Me tamen ingratos te sine, Virgo, dies
Hic opus est agere, et studio tabescere inani.
Ah! quis me vitae huic eripiat miserae?
Haec olim dicens umbroso concidit antro,
Sensibus ereptis, et sine mente, Lycon.

IN FUNERE

B. MARIÆ VIRGINIS

MOPSI DESIDERIUM.

ELEGIA X.

Quid credam, o Superi, nunc quum coelestia regna
Coelestes inter Virgo beata choros
Ingreditur regina, et se fulgentibus astris
Implicat? an Mopsi sit memor illa sui?
An subeant illi vota exardentia Mopsi?
Hoc equidem, Superi, credo. Sed interea
Per nemora, atque agros Mopsus, perque antra querelas
Jactat, et immensis conficitur lacrymis;
Illa incedit ovans, et limen spectat olympi,
Et Nati gaudet gaudia magna sui.
O te si nondum capiunt oblivia nostri,
Si pastoris adhuc est tibi cura tui,
Si quid amas, nec me miserum contemnis amantem,
Hac me quin vita protinus exsolvis?
Quin mihi das, namque id potes, in coelestibus oris
Tecum una longos vivere posse dies?
Id nisi tu efficias, numquam tua gaudia, Virgo,
Numquam non luctu prosequar, et lacrymis.

IN MORTEM

MARIÆ VIRGINIS

PASTORIS LYCIDAE QUERELA.

ELEGIA XII.

Nam quid ego extremam vitae hujus demoror horam,
    Æternae postquam Diva Parens Sobolis,
Unam plus oculis, unam quam semper amavi
    Plus anima, heu tristi funere mersa jacet?
Ah! moriar, quid enim exspecto? Non vivere tanti est,
    Ut tibi, Diva Parens, me superesse velim.
Quamquam ni dolor hic miserum me conficit, eheu!
    Quid jam me possit conficere, haud video.
Haec rupes inter Lycidas et flumina jactat.
    Flent rupes ipsae et flumina cum Lycida.

AD BEATAM MARIAM VIRGINEM

IN COELUM ASSUMPTAM.

ELEGIA XIII.

Dum te, Virgo, tenent summi penetralia Veri,
    Felix et magno in Numine cuncta vides,
Nos studia incerta, atque artes sectamur inanes,
    Quas mirans vulgus nominat ingenuas.

Quam rides saepe, immensi sive aetheris orbes
    Conamur certis fingere lineolis,
Semina seu celeris longe tenuissima lucis
    Quaerimus, et qui sit rebus et unde color,
Seu vim scrutamur vivam, qua corpora pollent,
    Claudentes paucis omnia litterulis.
Nam Falsum hos ausus caecis quam saepe tenebris
    Obruit, aut vanis ludit imaginibus!
Non ego, Virgo, tamen, dubias dum persequor artes,
    Te rogo, ne vanis ludar imaginibus;
Hoc rogo,, te quondam, Virgo, ut, pulcherrima, possim
    Visere, quae magno in Numine cuncta vides.

ALOYSIO GONZAGAE

ET

STANISLAO KOSTKAE

DIVIS PATRONIS

ELEGIAE

ELEGIACORUM LIBER IV.

JOANNIS MARIAE PARTHENII.

S. ALOYSII GONZAGÆ

IN SANCTIORIS VITAE SECTANDAE PROPOSITO CONSTANTIA.

ELEGIA I.

O quem te memorem, claro sate sanguine regum,
Gonzaga, Ausonidum Lojolidumque decus,
Cum titulos et opes fortis contemptor avitas,
Et linquis patrii regia tecta soli.
Non te laurigeri fasces, non splendida movit
Purpura, non lautae plurima gaza domus;
Non illa imperii tibi debita sceptra, nec ipse,
Quo tibi nil poterat carius esse, pater.
O! quoties sculptos pario de marmore, et altis
Longo dispositos ordine porticibus,
Majorum ostentans vera sub immagine vultus,
Et memorans forti parta trophaea manu;
Quo te jam dudum meditantem ac magna parantem
Flecteret, et blandis vinceret illecebris;
O! quoties dixit (dicenti plurimus humor
Depluit, et lacrymis immaduere genae);
Nate, per has ego te lacrymas, per facta tuorum
Inclyta, per nostrae tot decora alta domus;

Te, Nate, obtestor, precor hanc, precor exsue mentem
 Meque et te dignos concipe corde animos.
Quid tibi Lojolidum cum castris? Sanguine claro
 Martia progenitum non nisi castra decent.
Hoc est laudis iter; verax hoc gloria pandit;
 Huic uni insistens nomen in astra feres.
Ah! memini, quondam, cum vix septennis aheno
 Insignis clypeo, et conspicuus galea,
Tractabas puer arma; ensesque hastasque minaces
 Imbelli dextra stringere ludus erat.
Omina quae licuit mihi tunc captare parenti,
 Quantaque virtutis, quam prope certa tuae?
Jamque inimica animo totis fundi agmina campis
 Cernebam, et victos projicere arma duces;
Horrebat multo constrata cadavere tellus;
 Horrebat multa caede cruentus ager.
Tu vero afflictis violentior hostibus instans,
 Precipitique urgens agmina versa fuga,
Vix poteras duro avelli certamine; dulcis
 Tantus erat forti in pectore laudis amor.
Quo tu cunque ibas, gressum quocumque ferebas,
 Praetendens dextra laurea serta, tuos
Ante triunphales ibat Victoria gressus,
 Victori ornabant debita serta caput;
Ante pedes captae trepidis cum civibus urbes
 Tendebant vinctas supplice voce manus.
Interea totis penitus suscepta medullis
 Mulcebant patrum gaudia blanda sinum.
Haec ego fallaci ductus spe vota fovebam
 Heu! cassa in rapidos vota abitura notos;
Exsultansque animis, et laetus ovansque ferebar;
 Demens, qui falsis decipi imaginibus,
Et specie illudi rerum sum passus inani;
 Et vano fovi gaudia falsa animo.
Nunc fugis, et tristi cogor tabescere luctu,
 Nunc fugis, et tecum gaudia nostra rapis.
Ah! Nate, ah! si qua est pietas, me perdere noli;
 Noli ah! digressu perdere, Nate, tuo.
Haec Pater; at Lodoix agitans majora, parentis
 Et precibus flecti nescius et lacrymis,

Perstabat contra; non illum blanda movebant
Verba, nec admixtae cum precibus lacrymae.
Qualis in aerii consurgens vertice Saxi
Quercus frondosas explicat alta comas,
Quam venti tendunt nequidquam evellere, totis
Obnixi contra viribus; illa solo
Fixa, immota manet, furiasque Aquilonis, et iras
Ridet, et insani murmura rauca Noti;
Aut qualis medio rupes se se ardua ponto
Erigit, et celsa sidera fronte petit;
Quam licet horrisoni oppugnent facto impete fluctus,
Atque procellosi verberat unda Sali;
Non usquam labat, atque suas stans mole tenet se,
Iratique minas despicit Oceani.
Talis erat Lodoix; lacrymis Natum, et prece multa
Cum Pater aggressus flectere magnanimum.

AD S. ALOYSIUM GONZAGAM

UT ASSIDUIS LACRYMIS MODUM PONAT.

ELEGIA II.

Desine sollicitis incendere quaestibus auras,
Et jugi indignas deterere imbre genas.
Qualis muscoso fons olim eductus in antro
Materna rumpens prosilit e silice;
Prosilit, et summo descendens vertice montis,
Et properans celeri vallis ad ima pede,
Saxa per et latebras et inaequales anfractus,
Pergit inexhaustis currere semper aquis;
Sic tibi perpetuum rorantibus umor ocellis
Defluit, et madidos perluit imbre sinus.
Jam plures abiere anni; jam signifer axis,
Mutaruntque suas saepius astra vices;

Et quo suspirans, longo indulgensque dolori,
Pallidaque assiduis ora rigans lacrymis,
Angeris, et cura misere tabescis eadem,
Et requies fesso non datur ulla animo.
Carpitur interea laetae flos ille juventae,
Et pallor miris inficit ora modis.
Ah! quid agis! longas o! tandem mitte querelas;
O! precor immeritas parce rigare genas.
His sine perpetuo tabescant lumina fletu.
Queis est admissi conscia mens sceleris;
Quos olim abreptos furor improbus arma coegit
Sumere, et ultrices conscelerare manus;
Quique ausi impuro sunt ore lacessere coelum,
Et jacere in summum verba nefanda Deum;
Et quos pellectos coepit malesuada libido,
Ussit et impuris turpis amor facibus.
Hi plorent, largoque hument flumine vultus,
Ulla nec assiduis fletibus hora vacet.
Sic lacrymis animum et luctu pascebat amaro;
Et luctu et lacrymis conficienda suis,
Fax juvenum quondam, Bethanes famosa puella,
Dehinc sauctae insignis forma pudicitiae.
Amplius haud olli tyria procedere palla
Ornatam, aut crines fingere cura fuit,
Adscitamque mala speciem mercarier arte,
Inque peregrinis fulgere divitiis.
Lapsa jacent nitidis conserta monilia baccis,
Et despecta solo murrhina vasa jacent.
Lucem odit, vitatque hominum commercia, quos heu!
Heu! male blanda suis coeperat illecebris.
Illa vel obscuris antri latet abdita in umbris,
Aut sedet in solis anxia littoribus;
Funduntur passi per levia colla capilli,
Praecingit tenerum fascia dura latus;
Interea ducens imo suspiria corde,
Et feriens crebra pectora nuda manu,
Pacem orat Superos; responsant littora pacem
Et pacem cautes antraque pulsa sonant.
Noctes atque dies haec scilicet una recursat,
Sollicito una haec est addita cura animo.

At tu, Sancte Puer, lacrymas quod fundere cogat,
Ecquod vesani crimen amoris habes?
Si nix contendat tecum maeotica, vel si
Lacteolis certent alba ligustra comis;
Alba ligustra, nivesque anteis candore, ligustris,
Et si ipsis quidquam est candidius nivibus.
Quamquam quid loquor, et non proficentia perdo,
Irritaque in rapidos verba abitura notos?
Ille gemit, mixtoque iterat suspiria fletu;
Mors ponet tantis fletibus una modum.

S. ALOYSIUS GONZAGA

JUSSUS MENTEM A DEO AVERTERE

CONQUERITUR

ELEGIA III.

Ergo ego, quem primis sua sub juga misit ab annis,
Ussit et admotis Divus Amor facibus;
Assuetum longo te sanctum tempore Numen
Et colere, et toto pectore diligere;
Invitam cogor nunc a te avertere mentem
Proh dolor? et caro distrahor a gremio.
Distrahor; et potero tantum tolerare dolorem?
Et ferre ingrati taedia dissidii?
Uror; et eripitur cupido solamen amanti;
Uror, et optato non licet ore frui;
Sancte Amor, arsuras aut mitius ure medullas
Et petere usque novis pace, precor, jaculis;
Aut si me pergis violentius urere, et in me
Tela placet crebra congeminare manu;
Ah! saltem tanto nullus ponatur amori,
Qui miserum exanimet discrucietque, modus.

Quis potis injecto cohibere incendia fraeno,
 Cum furit accensis Trinacris Aetna rogis,
Flagrantesque globos liquefactaque saxa sub auras
 Evomit, et multa verberat astra face?
Quis, cum missa semel nervo est stridente sagitta,
 Et findit celeres ocyor ipsa notos,
Quis rapidum remoretur iter, sistatque volantem,
 Quin propere ad metam pergat adacta suam?
Heu! quid agam? me sancta premunt tua jussa, jubenti
 Et parere quidem, sit modo posse, velim.
Verum qui possim? caram quando omnia formam,
 Quocumque inciderint lumina, subjiciunt.
Illam devexi montes, vallesque reductae
 Vitiferi colles, umbriferumque nemus,
Illam mi fontes, illam mi roscida prata;
 Et picta objectant floribus arva suis;
Nec non et stellis caelum fulgentibus aptum,
 Et lata immensi stagna profunda sali.
Illa mihi occurrit, seu non subvecta quadrigis
 Obnuit densis atra polum tenebris;
Seu nimbo contra ningens aurora rosarum
 Optatum revehit gratior axe diem.
Illa mihi ante oculos semper versatur imago,
 Infixa et menti est altius illa meae;
Ulla umquam ut possit quam vi convellier, atque
 Arcte amplexanti decidere ex animo.
An fugiam, mea vita? at quo? aut quaenam fuga longe
 Abducat cara me satis a facie,
Sive ego praepetibus subvectus ad aethera pennis
 Siderei scandam lucida templa poli;
Vel si velivola findens vada salsa carina,
 Sistar in ignotis advena littoribus?
Quo me cunque feram, fugienti instabis amanti,
 Atque occursabit Numen ubique tuum.
Tu mare, tu terras, tu caelum numine comples;
 In toto nullus te vacat orbe locus.
Tu caelo signorum obitus moderaris et ortus
 Imperio parent aequora lata tuo;
Paret et extremo, trans littora transque refusum
 Oceanum, tellus si qua sub axe jacet.

Quid? Si digressus caelo terrisque relictis;
  Infernas subeam, pallida regna, domos.
Illic Numen ades; vindex et foeda nocentum
  Eternis plectis crimina suppliciis.
Quo me igitur vertam? aut misero quid denique restat,
  O! mihi luce ipsa carius atque anima,
Quam propera duros tandem finire labores
  Morte? modus tantis mors erit una malis.
Tales, flammato fundens suspiria corde
  Saucius heu! nimio pectus amore Puer
Edebat gemitus, et fletibus ora rigabat,
  Nec sat consilii, nec rationis erat.
Qualis Carpathio puppis deprensa profundo
  Cum subito nubes eripit atra diem,
Incubat et ponto nox atra, ferocior Eurus
  Hinc fremit, oppositis viribus hinc Boreas,
Miscentur maria, atque imis furit aestus arenis;
  Illa anceps medio fluctuat Oceano.

S. ALOYSII GONZAGA

MORIENTIS VOTA

ELEGIA III.

Qualis Maeonii cygnus prope stagna Caystri
  Arguto moriens dulcius ore canit;
Ore canit; presso circum silet aura susurro,
  Proxima nec tremulis sylva strepit foliis;
Ille modos liquido fundit de gutture, donec,
  Paullatim vita deficiente, cadat.
Talis Aloysius, supremo in funere, blando
  Auditus solito est blandius ore loqui.
Non illum tenuit periturae cura salutis;
  Major quippe alto in pectore cura sedet.
Obvia non illum mors terruit; horrida quanquam
  Et vultu, et saeva falce tremenda foret;
Quin etiam ignavam, et nimium in sua funera lentam
  Arguit, ingratas increpuitque moras.

O! qui me exemptum vinclis et carcere coeco
    Cognati supera sistat in arce poli.
Aurea concilio sedes ubi culta piorum
    Fervet, et aeterna luce corusca nitet.
Non illic curae insomnes, non tristia bella,
    Non dolor assiduis uvidus a lacrymis;
Sed secura quies, tranquillae et gaudia mentis,
    Et pax felices incolit alma plagas.
Ah! valeat quisquis vitae infelicis amore,
    Posthabita antetulit exsilium patria,
Et seram curas producere ad usque senectam,
    Et potuit longae taedia ferre morae.
Non, mihi centenos si quisquam spondeat annos,
    Tithonique aevum Nestoreosque dies,
Mutare oblata praesentia funera vita,
    Hac vel proposita conditione, velim.
Felices primae quos ipso in limine vitae
    Vix sacro ablutos flumine mors rapuit;
Qualis virgineo mollis rosa carpitur ungui,
    Cum nondum picti claustra sinus reserat.
Hos non infestis trajectos corda sagittis
    Impuris ussit turpis amor facibus.
At nunc securi caelo blanda otia ducunt,
    Otia perpetua continuanda die;
Candentemque agnum candenti in veste sequuntur,
    Et laeti Divum limina concelebrant.
Quando erit ut terris translatus ad astra relictis,
    Et comes aligeris additus agminibus,
Ipse etiam optato jucundae munere pacis,
    Et vita incipiam nobiliore frui.
Nempe ea, quae certo non est obnoxia letho,
    Et quae divino semper amore alitur;
Quae vigiles nescit curas, ea vita vocanda,
    Et votis digna est omnibus una peti.
Ergo age flebilibus tandem exorata querelis,
    Quas tibi sincero fundimus ex animo;
Huc ades, o bona Mors rerum dulcissima, meque
    Ereptum inviso transfer in astra solo.
O felix patrio quae me lux addet olympo!
    Prepetibus vehat hanc Lucifer almus equis.

CAROLI ROTII

S. ALOYSIO GONZAGAE

PRO CASTITATE VOTA

ELEGIA V.

Loïside, intacti felix tutela pudoris
    Lilia cui sanctum circumiere caput:
Virgineas seu nunc laetus meditare choreas,
    Lactea conspicuum qua via signat iter;
Seu flores legis in sertum, formosa vagatus
    Per nemora, Elysiis consita deliciis;
Coelestemque Agnum sectatus in ardua, carmen
    Dicendum pueris, virginibusque canis:
Huc ades, et tecum Veneris domitura calores
    Affer virginea pocula mista manu;
Balsamaque, et succos, semperque virentis olympi
    Flores, et primas, dona beata, nives.
Sic ades o, nostroque volens succurre labori:
    Nulla tuo res est digna favore magis.
Quamvis multa tuae celebrentur munera dextrae,
    (Parcius aestiva Nilus abundat aqua.)
Aut fruges modo miramur succrescere cellis,
    Aut modo depletis fervere vina cadis;
Aut, quam non unquam nostri pressere trapetes,
    Manare e siccis Pallada fictilibus.
Adde huc innocuosque ignes, segetique sinistrum
    Jussum contractis currere flumen aquis:
Adde et depulsos Cereali pulvere morbos,
    Corporaque e mediis paene recepta rogis:
Haec, et plura licet memorentur in omnibus oris;
    Major ab asserto fama pudore venit.
Haec tua vis potior, laus haec, et gloria; tollis
    Quidquid vesani crimen amoris habet.

Hinc et votivis augentur templa tabellis,
    Sanctus et in toto suscipis orbe preces;
Et merito: tibi enim, tibi primo in flore juventae
    Cypris non ulla stringere pectus acu,
Nec potuit castae nebulas inducere menti,
    Aut semel objectis fallere imaginibus.
Rarus honos, et quem pauci meruere, secundo
    Quamvis nascentes viderit ore Deus.
Quo magis o faveas, ac numine dexter amico
    Assere sollicitae jura pudicitiae.
Non mea me tutum praestare industria possit:
    Tota patrocinio spes mea nixa tuo est.
Cinyphiis licet obducas horrentia textis
    Pectora, et in dura sit tibi somnus humo;
Sitque exusta licet facies, aestuque, fameque,
    Languidaque amisso corpore membra trahas;
Non tamen his telis Venerem deffendere possis.
    Altius humanis viribus illud opus.
Hei mihi! cur tam difficili committor arenae?
    In me cur tantum roboris hostis habet?
Ista quidem vis est; viden' ut niger ora Cupido
    Pone trahat furtim pallia nostra manu?
Nec satis hoc: colaphos infregit in ora: vides hoc;
    Et tamen in nostro lente labore sedes?
Surge age, Loïside, cape tela, elataque frange
    Cornua; virgineas sentiat ille manus.
Audimur; venit, ecce venit; cortina repente,
    Sanctaque concusso mugiit urna solo.
Quid statis, pueri? terram petite ore paventes,
    Praesentem et Divum quisque rogate mihi.
Fallimur? an nostro? non fallimur: improba pestis
    Excussa est nostro nec reditura sinu.
Surgite io, pueri: gratesque rependite Divo.
    Vicit io Lodoix, dicite, vicit io!
Heus pictor, mihi votivam describe tabellam,
    Atque haec extrema carmina parte nota:
ABSVMTVS . MISER . HIC . FLAMMA . NE . QVAERITE . QVALI
    VINDEX . LOÏSIDES . NI . PROPERARET . ERAT .

FRANCISCI CONTOLI.

ALOYSIUS GONZAGA

LOYOLITARUM SOCIETATI NOMEN DATURUS
PATREM ITA PER LITERAS ALLOQUITUR.

ELEGIA VI.

Quae me saepe pudor conatum dicere coram
Non tulit, ad Patrem verba legenda damus.
Auguror: allato graviter turbabere scripto,
Judicioque ferar barbarus ipse tuo,
Qui tibi tam caro tam dirum infligere vulnus
Non timeam, et tristem mente agitare fugam.
Quidquid erit, virtus leviter te ferre docebit,
Si sua virtuti jura relinquat amor.
Cum teneram primis mentem mihi fingere ab annis
Coepisti (memini) talia saepe dabas.
Dilige, Nate, Deum: nihil est praestantius illo:
Ille colit terras, sydera et ille tenet.
Sed non terra illum, non aetheris ambitus ingens
Aut capere, aut ullo claudere fine potest.
Quidquid habes, campos, urbes, armenta, domosque
Haec Deus insigni munere habere dedit.
Hunc igitur pronâ semper venerabere mente,
Et magnum duces huic placuisse Deum.
Praeterea vitae cursum quemcumque tenendum
Jusserit Omnipotens, certus inire para.
Praemia magna feret, castum qui vixerit aevum;
Vita tamen multis casibus ipsa patet.

Dixeris esse mari similem, bacchantibus austris,
    Auget ubi trepidum naufraga turba metum.
Felix qui portum nactus celer occupat, atque
    Mox cavet insidis pandere vela notis.
His me tum monitis puerum formare solebas:
    Num frustra monitum me voluisse putem?
Loyolidûm me castra sequi, te Patre relicto,
    Imperiis cogit nunc Deus ipse suis.
Hic pacem sperare jubet, certamque salutem;
    Semitaque hinc facilis panditur ad Superos.
Qui modo suadebas portus intrare repertos,
    Et fugere insani mille pericla maris,
Idem nunc pelagus temere tentare jubebis,
    Et vitam saevis credere turbinibus?
Te ne auctore, Dei jussis parere recusem,
    Cui magnum ducis displicuisse nefas?
Sed tua nequaquam mens est mutabilis, atque
    Stultus ego, Patrem qui mihi fingo levem.
Ite procul tristes curae, procul ite timores:
    Adnuit; et coeptis jam favet ille meis.
Accedo fidens animi suprema daturus
    Oscula: procumbo cernuus ante pedes.
Occurrit velox; collo dat brachia circum,
    Amplexuque tenens irrigat imbre genas.
Dimittens tandem dictis haec fatur amicis:
    I felix: votum perfice, Nate, tuum.
Vive memor nostri; precibusque utrumque Parentem
    (Quando unum superest hoc tibi) saepe juva.
Talia fingebam scribens, animoque videbam:
    Quis prohibet fictis posse subesse fidem?
Credam ego quod cupio, nec spes me ludet inanis,
    Ingenium potui si modo nosse tuum.

FERDINANDUS GONZAGA

ALOYSIO FILIO SIC RESPONDET.

ELEGIA VII.

Durus adhuc nostris obsistere viribus audes,
Noster nec flectit ferrea corda dolor?
Non te caucaseâ lactavit rupe laeena;
Immanes scopuli nec genuere maris.
Cede: nec ingenuos decet intractabile pectus;
Nec bona de nostris vana petenda malis.
Molirine fugam poteris, me Patre relicto,
Ducere cui tecum scis placuisse dies?
Non tali est usus nato longaevus Jacob;
(Sis memor) ingenii te pudeatque tui.
Adsurgit Juveni Memphitidis incola terrae;
Illum Niliaci littoris ora tremit.
Quadrijugis invectus equis, curruque nitenti
Ibat per medias splendidus ille vias.
Argenti magno stant mensae pondere, et auri;
Uruntur positis dona Sabaea focis.
Regificum Nilus luxum miratur, at Heros
Suspirans curis angitur assiduis.
Absentis rediviva subit Genitoris imago,
Fallere quam nullâ jam miser arte queat.
Vota cadunt: Genitor Pharias delatus in oras
Adfuerat; nati limina jamque tenet.
Obvius ille volans properabat dicere multa:
Laetitia incoeptum comprimit ore sonum.
Ingredere o tandem, vires et collige, dixit:
Non hospes nobis, non abiturus ades.

Una erit amborum sors, si modo fata probabunt ;
Alterutrum donec frigida mors rapiat.
O pietas! o rara fides! o decolor aetas
Nostrorum priscis inficienda viris!
Et mihi Dî dederunt Natum, quo tristis in uno
Sperabam curas ponere posse meas.
Hic tamen, heu! miseram luctu consumere vitam
Me jubet : hic longe non rediturus abit.
I; te non teneo ; nostrum si ferre dolorem
Non audes, tutam nox dabit atra fugam.
I; cessent pugnae: dirae pete barbara palmae
Gaudia de nostrâ quae modo morte feres.
Adspice : pressa gravi subsultant corda dolore:
Deficit, et trepidum vita fatigat iter.
Talibus incessit Natum Fernandus: amaris
Tangitur, at flecti quaestibus ille nequit.
Sufficit ipse novas vires Deus aethere ab alto,
Humanâ victus ne cadat arte Puer.

DE FUTURA

ALOYSII GONZAGAE

APUD SUPEROS BEATITATE VATICINIUM.

ELEGIA VIII.

O quem nec generis totum diffusa per orbem
Fama, nec antiquae nobilitatis honos,
Nec fumosa movent priscos referentia Patres
Signa, nec invictâ parta trophaea manu,
Macte animo : caros, Aloysi, linque penates;
Arridet coeptis jam Deus ipse tuis.
Irati nec te frangant convicia patris,
Injectusque timor, terrificaeque minae.

Consilia in melius referet (ne finge tyrannum)
Et veniam supplex, quam petis, ille dabit.
Num quod longa Parens ducit suspiria corde,
Et male compressis ora rigat lacrymis,
Propositis obstare tuis, fatoque vocanti
Hanc quoque posse levi mobilitate putas?
Adnuit, atque ultro cupit, etsi pectora turbet,
Consilio semper cedere lentus amor.
O una ante alias fortunatissima matres,
Quot sunt, quotquot erunt, quotque fuere prius!
Oh si fata tui posses dignoscere Gnati,
Quanta animo jam nunc gaudia praeriperes!
Eventura cano: primâ tuus iste juventâ,
Ceu flos depresso languet humi capite,
Occidet, at nulli veterum pietate secundus
Loyolidum, quotquot sydera celsa tenent,
Praesidioque fovent terras, et rite vocati
Humano Superos conciliant generi;
Quos inter magni coeli susceptus in arcem
Lustratis summi tecta beata Patris,
Aligerûm mores, et nomine discere gaudens,
Et digesta suis agmina cum ducibus.
Interea sacrum Juvenis gens Romula corpus
Possidet, observans exsuviasque colit.
Ipse Pater geminas coelique, erebique potestas
Claudere cui facta est, et reserare fores,
Indigetum coetu solio praefatus ab alto
Inserit, et festos donat habere dies.
Stant arae laevi de marmore: thura sacerdos
Imponit sacris rite adolenda focis.
Gens effusa ruit, matres, puerique, senesqne,
Et sibi Gonzagam quisque rogat facilem.
Gonzagae nomen cunctis celebratur in oris,
Qua sol imponit, qua juga demit equis.
Jam Lybici discunt fines, jamque Indica tellus,
Et Liguri discit terra reperta Duci.
Gonzagae nomen strictis, et lege solutis
Tolluntur verbis sydera ad ipsa poli.
Fallor? an ingenuo Pubes (1) assueta labori,
Et dare palladiis laeta operam studiis,

(1) Scilicet Ephebi Seminarii Faventini.

Qua velox Anemo curvi munimina pontis,
    Atque Faventinum perluit amne solum,
Ostentatque procul turres, atque alta domorum
    Tecta, et praestanti structa theatra manu,
Fictiliumque novas formas, et pecula, frustra
    Queis certent Parthis murrhea cocta focis;
Quae dum longinquis advectus finibus hospes
    Suspicit, in memores cuncta refert tabulas.
Sed magis effossum vectandis mercibus alveum
    Miratur celsae nobile mentis opus.
Turba canit: faciles cantanti commodat aures
    Praesul (1); Pieriis laetus adesse modis.
Salve, o Felsinei decus et laus maxima Rheni,
    Quem sibi vicinus vindicat Eridanus,
Testaturque viros antiquâ stirpe Tuorum,
    Quos illic quondam sedem habuisse ferunt.
Salve, atque ingenuis haec artibus hospita tecta
    Praesidio felix protege, ut ante, tuo.
Tuque adeo magnis spectata Faventia rebus,
    Æmiliae claros saepe datura viros.
Ne tenuem, quaeso, puerorum despice Musam;
    His quoque cum vita crescet in ore sonus.
Sic tum qui labens ad moenia perstrepit amnis,
    Jam fuerat rivus lene sonantis aquae.

(1) Vitalis Josephus de Bobus Bononiensis Episcopus Faventinus.

CAROLI ROTII

MARGARITA KRISKA

STANISLAO KOSTKAE FILIO.

ARGUMENTUM

S. Stanislaus natione Polonus e nobili, et senatoria Kostkarum familia a Parentibus studiorum causa Viennam Austriae cum Paulo fratre majore mittitur. Ibi quum studiis pietatis apprime deditus vitam caelestem magis quam humanam ageret, eamque ob rem assidue vexaretur a fratre, cujus videlicet solutiores mores tantam illam vitae sanctimoniam ferre non poterant; a Sanctissima Dei Matre de ineunda Societate Jesu diserte admonetur. Sed quum plane desperaret de facultate, et venia a Parentibus impetranda, observari etiam se diligenter a fratre cerneret, id consilii coepit, ut mentito agrestique cultu arrepta fuga Dilingam ad Petrum Canisium, qui tunc Germaniae Superioris Societati praeerat, contenderet. Quo in itinere a fratre missos qui eum e fuga reprehenderent, divinitus, quum prope teneretur, evasit. Itaque exceptus a Canisio demum cum literis allegatur Romam ad S. Franciscum Borgiam Praepositum Generalem, a quo in Societatem admissus consummatus in brevi explevit tempora multa; *quippe nec dum decimum Tirocinii mensem egressus in maxima sanctitatis opinione decessit Romae ad Sancti Andreae in Quirinali. Atque haec ad Historiam. Nunc Margaritam Kriskam Stanislai matrem scribentem facimus filio hanc epistolam, qua multa queritur de fuga, et consilio novae vitae, tum illi reditum domum ad se maximo opere suadere conatur.*

Ecquid, ut inspecta est maternae litera dextrae,
　Matris ab admonitu cor tibi molle fuit?
Quamlibet austero sis pectore, nostra legenti
　Forsitan invitis decidat unda genis.
Sed neque deciderit, nec quem facis ipse, dolorem
　Gutta mihi ex oculis leniet una tuis.

Durus, ut es, persta: non me scripsisse pigebit.
Est tanti, justo si licet ore queri.
Ausus es (heu facinus!) primo furtivus Eoo
Non expectatae tradere terga fugae.
Non miserae subiit fugienti matris imago?
Non dolor, et lacrymis omnia plena meis?
Egregium vero, crudelis? reddis amorem,
Dignaque das Matri praemia; flere jubes.
At caelo suadente fugis, Superumque vocatu
Lojolidum adscita vivere lege juvat.
Ista licet narres ignotis somnia, matrem
Ne speres tanta credulitate capi.
Nempe habuit Frater te durius, aera maligne
Praebuit, assiduas, intonuitque minas.
Forsitan et plagas, quod nollem, saevus inussit:
Haec fuit, haec subitae causa caputque fugae.
Hinc te pertaesum Patriae est, hinc illa repente,
Quam fingis, menti lux fuit orta tuae.
Quod te si vitae melior cepisset imago,
Res erat haec longa discutienda die.
Quae cito praecipites, citius damnaveris: adde
Consiliis justam, ne capiare moram.
Nec satis est dixisse; Vocor: vox credita, saepe
Impetus ingenii fervidioris erat;
Utque queas tuto, Superis auctoribus utor,
Dicere; res certis tanta probanda notis.
At tibi ceu fuerit superas demissa per auras
Litera, propositi tessera fida tui,
Protinus indictaque mihi, Patrique salute
Per causam fictae relligionis abis.
Neve foret pietas uno tibi nomine laesa,
Accedit lacrymis altera causa, pudor.
An si de media susceptus plebe fuisses,
(Prô scelus, et nostro sanguine inusta nota!)
Aufugeres cultu speciem mentitus agrestem?
Hei mihi! te propter fabula quanta sumus!
Patris ut attonitas tantum scelus attigit aures
Supploso strepitum suscitat ira pede;
Jurat et hoc sumtis ulcisci dedecus armis;
Et faceret, si non mente recurset amor;

Namque ubi paulatim spatio deferbuit ira,
    Ingemit, et guttis grandibus ora rigat;
Et nisi malueris mutata mente reverti,
    Longius heu! sine te vivere, Vita! negat.
Si potes, ex patrio matris nunc conjice luctum.
    Quam credis, majus pectore vulnus hiat!
Paulo ferox, utinam Fratri placatior esses!
    Tu vexas: olli fit fuga; plector ego;
Nec mea continuo tabescere lumina fletu
    Cessant, vixque animam vixque dolore traho.
At tu, care Puer! si qua est tibi cura Parentis,
    Ne pereat, patriis restituere focis,
Aut certe (si nulla super tibi gratia nostri est)
    Ah! capiti parcas, Vita! nocere tuo.
Quid facis ah demens? temeraria caepta relinque:
    Non bene, quod nequeas ferre, subitur onus.
Tene tot indomitos vitae perferre labores,
    Illaque Lojolidum tristia castra sequi?
Militiae durum genus est: vix transeat annus,
    Et tua jam tumulo molliter ossa cubent.
Quis furor est mortem primis arcessere ab annis?
    Quamlibet extremis venerit illa, cita est.
Non tibi divitiae desunt, non gloria Gentis,
    Non vetus, et Regum sanguine ducta domus;
Nec favor et caeptis aspirans grandibus aura
    Caesaris, et populi fausta precantis amor.
Est quoque quae roseos commendet gratia vultus,
    Ingenuae vires, ingeniumque sagax.
Denique caelestes, si fas modo vera fateri
    Quidquid erat, facili contribuere manu.
Tu tibi ne desis tantum, mea Vita! caveto!
    Neu bona corrumpi tantaque, totque velis.
Seu tibi Mars placeat, Martem profitebere in armis,
    Aucturus veteris tot monumenta domus:
Sive togae potius, pacisque insignia quaeris,
    Conspicuus media e pace petetur honos:
Nec, si vita sacras placet instituenda per artes,
    Desit honoratis infula clara comis.
Quamque aliis tardo medicatur Tibris aheno,
    Crede mihi, est humeris Purpura nata tuis.

Non ego vana loquor: tibi enim, tibi tota Poloni
    Regis, et Austriaci Caesaris aula favet.
Ergo quum possis procedere tantus in ostro,
    Malis Illyrica nigririor ire pice?
Lojolidumque umbras, et tristia septa secutus
    Ante diem macie, tristitiaque cadas?
At positis illic quondam sacrabere in aris,
    Indigetemque novum Patria terra colet.
Gratulor Indigetem titulis accedere avitis;
    Perfice io! hac una Gens tua laude caret.
Sed tibi quid patrios noceat celebrare penates?
    Num minus hic virtus quo tua crescat, habet?
Hic quoque ni. refugis, licet exaequare triumphis.
    Degentem in solis Serapiona jugis;
Et possis nimbo frontem circumdatus aureo
    Non trita ad Caelum pluribus ire via.
Ah valeant tristes nimium nimiumque severi,
    Abdita quos virtus rupibus una juvat!
Non est silvestri nec tristi praedita virtus
    Indole nec tenebris vult sua facta tegi.
Exeat et totis praebens spectacula terris
    Splendeat illustri suspicienda loco.
Sic prosit, vitaeque inter latrantia saxa
    Nocturnum late per vada monstret iter.
An Stanislaï, quem reddis nomine, virtus
    Utilior terris, si latuisset, erat?
Verba sed heu perdo! scribenti litera venit,
    Te Tiberim profugo jam tetigisse pede:
Jam fuscos sumsisse habitus, capitisque minorem
    Lojolidum tonsâ castra subisse coma.
Saeve, quid exsultas palma ceu victor adepta?
    Jam faxo pigeat te, pudeatque fugae.
Quamvis longinqua simus regione remoti,
    Non est ignotum nomen in Urbe meum.
Possum ego supplicibus Romam miscere tabellis,
    Tuque licet pugnes, eripiere tamen.
Possum ne speres caeptum pervincere ludum,
    Ipsa quoque armato milite septa vehi.
Et faciam, irrumpamque aditus, et claustra refringens
    Hic, dicam, meus est, injiciamque manus;

Neve fuga, scelerate, queas evadere rursus,
    Addam ego materna ferrea vincla manu.
Hei mihi! quo rigidis tenerum vincire catenis?
    Ignoscas: aeger pectora turbat amor.
Apta magis niveo gemmata monilia collo:
    Apta magis pulchris florea serta comis.
Ipsa manu vestes propero tibi, maestaque nutrix
    Assidet, et Phryxi sedula torquet ovem.
Scilicet his curis solatia quaero dolori.
    Hei mihi! si dura mente redire neges.
Sed puto, flecteris; nec enim tibi pectora ferro
    Constant, nec medio stat tibi corde silex.
Certe ego quam fugias, non sum tibi dira noverca,
    Nec tibi, si memini, toxica saeva dedi.
Matris amor si crimen habet, peccasse fatebor;
    Nec possim culpae poenituisse tamen
Ergo si qua tibi est pietas, nec pectore toto
    Excidit officii gratia vana mei:
Si quidquam mensesque decem, saevique dolores,
    Anxiaque ancipiti vita puerperio:
Atque amor et studium de te meruere, parentem
    Ne, per quam vivis, Nate, perire velis.
Hoc lacrymis tristisque Pater, maestique propinqui,
    Poscit et hoc lacrymis parva, minorque Soror.
Hoc et Germanus poscit, quem poenitet irae,
    Utque sibi ignoscas tristia facta, rogat.
Obrueris lacrymis, mea lux! votisque tuorum.
    Ecquid ad haec caepto mens tua perstat adhuc?
Scribere plura quidem vellem, sed me dolor aegram
    Opprimit, et nimiis charta madescit aquis.
Atque utinam macie quam sim confecta, videres!
    Molliret sensus tristis imago tuos.
Jam medici nostram prope despondere salutem,
    Exitiumque, redis ni cito, triste canunt.
Aut igitur cito redeas, aut laetus in horas,
    Nostras expectes jam licet exsequias.

STANISLAUS KOSTKA

MARGARITÆ KRISKÆ MATRI

—

RESPONSIO.

Flebilibus conscripta notis, et plena querelis
Pervenit in nostras litera moesta manus;
Ille ferox, et quem crudelem nomine dicis,
Haud legi siccis, nec pudet, ista genis.
Quodque ego sim tanti, Mater! tibi causa doloris,
Alterno mihi mens aegra dolore jacet.
Certe ego si possem mentem mutare priorem,
Si possem patriis restituique focis:
Non me fortunae revocaret splendor avitae,
Non honor, et veteris tot decora alta domus;
Nec quae promittis reduci fastigia rerum,
Sive sagi quaeram praemia, sive togae:
Unica tu potius reditum, Carissima! nobis
Suaderes, lacrymis eriperesque tuis.
Sed quoniam Deus ille vetat, pertendere noli,
Et sinito incoeptam, quo vocat, ire viam.
Nam quod me laesae pietatis nomine damnas,
Ignosco; vester semper aberrat amor.
Mater es, et matrum consueto more locuta;
In crimen, laudem quae meruere, vocas
Nempe ego divino praeponam matris amorem?
Hei mihi ab admonitu mens animusque fugit.
Ordine si careat, pietas quoque peccat, et exlex
In vitium, amisso nomine laudis, abit
Nec me quod fugi, Germani injuria movit:
Altius est nostrae causa petenda fugae.
Jampridem caetuque hominum rerumque tumultu
Defungi certus, si mihi credis, eram.

Saepe mihi dixi: Quid cessas, lente viator?
    Astra vocant: mundo terga daturus abi.
Non temere est quod te capiunt fastidia rerum:
    Hoc quoque, si nescis, pondera vocis habet.
Lojolidum te castra manent; celer arripe cursum,
    Fratris et occultâ lumina falle fuga.
Saepe quidem volui furtim discedere tectis,
    Hei mihi! vix tacto limine, Frater adest,
Saepe etiam ingressusque viam campoque potitus
    Extimui, coeptam sustinuique fugam.
Nox erat, et lacrymis per maesta cadentibus ora
    Ducimus in longam vota precesque moram.
Hic mihi Divinae visa est Genitricis imago
    Ter, quater haud dubia dicere voce, Fuge.
Nulla mora est, fugio: fugio, sanctissima! dixi:
    Nec metus ignotas te duce inire vias.
Vix ea, surrexi trepidus, foribusque reclusis,
    Corripio nullo conspiciente fugam.
Frater, ut agnovit, subita incandescere ab ira,
    Et profugum cursu praecipitante sequi.
Ecce autem attolli toto procul aequore pulvis:
    Imminet; effugii spes mihi nulla super.
Adsis o, Fratremque fuga da fallere, Virgo!
    Da mihi, si jussam te duce carpo viam.
Vix bene finieram, videas haerere quadrigas,
    Et consternatos usque resistere equos.
Jam stimulos, jam flagra adhibet, jam rector habenas
    Concutit irata terque quaterque manu.
Nil tamen ista juvant: saxo per pectus oborto
    Credas in media diriguisse via.
Quid memorem dum dura inter caelique, viaeque
    Qualia secura gaudia mente tuli!
Quamvis aut nunc sol graciles exureret artus,
    Luridus aut pluviae laederet imber aquae,
Aut siccas mihi tolleret sitis improba fauces,
    Tantula et ad victum vix foret atra Ceres:
Difficilesque idem peterem per devia somnos:
    Ipse mihi in niveis ire videbar equis.
At mea sermones vulgo fuga praebuit: esto:
    Non ego, non vulgi murmur inane moror.

Contenta est oculis Superum mea vita probari,
Scenaque plus sensus afficit ista meos.
Quamlibet accuses, laudemque in crimina vertas:
Nil fuga, si quaeris, nostra ruboris habet.
Quem damnas, cultu quum me conspexit in illo
Borgia, Caesareo sanguine junctus eques:
Macte, ait, o generose, fugâ! sic itur ad astra
Nec mora, felices jussit inire lares.
Conveniunt Magnique Patres, Proceresque Quirini,
Certaque dant animi pignora quisque sui.
Gratantur, laudantque fugae, votisque precantur
Eventus habeant grandia coepta pares.
Verum age quod laudant, carpant magis; et mihi suavis
Dura fac inciderit, difficilisque via;
Quantula io! censes dispendia talia? nempe
Parta foret nullo tanta labore quies.
Ut genus hoc vitae felix mihi quaerere fas sit
Omnia proponas dura et iniqua, feram.
Non ego ad extremos genibus perrepere Seras,
Atque ultra sedes vadere Memnonias,
Nec dubitem Alcidae, si quis fuit ille, labores
Perferre, et Regis tristia Dulichii.
Haec tunc vita fuit quum nondum uxorius Adam
Totum infecisset labe nocente genus;
Quum Pudor, et Pietas laetis errabat in agris
Cunctaque securae plena quietis erant.
Atque uti nam possem verbis expromere, Mater,
Quam laeta felix nunc ego forte fruar!
Certe equidem haud totos, ut nunc, deperdita sensus
Lamentis abitum prosequerere meum.
Quin posito luctuque, et femineo ululatu
Gauderes miris gaudia nostra modis
Hic secura quies, Divisque accepta secundis
Imperturbatos Pax colit alma lares.
Hic mores rectique vigent, hic ardor honesti
Nobilis, et studiis mens operata bonis.
Nulla hic ambitio, nullum certamen honoris:
Extremo lis est discubuisse loco.

Quam juvat, ardentes ubi Vesperus extulit ignes,
Membraque sub noctem fessa labore jacent,
Hic meus est, dixisse, dies: pars nulla caduca est:
Nulla et promeritis hora vocavit iners!
I nunc, et mihi tam laeta regione moranti,
Ut revoces, fluxas objice, Mater, opes.
Felix Kostkiade, cui numquam tale merenti
Contigit Elysium sic habitare nemus!
Et cuiquam miserandus eris? age mitte querelas,
Mater, et indignas parce rigare genas.
Maxima laetandi causa est tibi, nulla dolendi:
Haec me cum vera crede referre fide.
At tibi ne possis, quae sunt manifesta, videre
Æger praestinguit lumina mentis amor.
Hic etiam facit, ut scribens aliena loquaris
Et causam prodas immemor ipsa tuam.
Ecquid si duri certamina Martis adirem,
Si premerem galea miles et aere caput;
Et latus objicerem telis, mediosque per hostes
Miscerem insueta praelia dura manu;
Tunc ego tunc possem laudari, et jure viderer
Judice te capiti consuluisse meo?
Idem quod sacris transcripsi nomina castris,
Suscepit tutum militiaeque genus,
Mitibus atque agito laetum sub legibus aevum,
Jam perii, gravius consuluique mihi;
Et mea jam tumulo defleti corporis ossa,
Exigui spatium temporis adde, jacent.
Quid tantos, Genitrix! tibi fingis mente timores?
Invidiam falso sustinet iste locus.
Hic etiam licet in longum producere fata;
Mutatoque albam crine referre comam.
Fac tamen exstinguar primo consumtus in aevo:
An, Caeli brevior quod via facta, querar?
At nihil est metuas de me quod talia, Mater!
Hei mihi! plus vivax, quam quoque credis, ero!
Nondum ego terrenas excidi e corpore pestes,
Concretum nondum perdomuique nefas;
Nec dum etiam lacrymis in me caelestis origo
Funditus abstersâ lucida labe nitet.

Quo magis incoeptum sinito me currere cursum,
    Et genus hoc vitae militiaeque sequi.
Hic mihi dum vivam, fas sit perferre laborem;
    Non datur e terris mollis in astra via.
At mihi si lubeat (sic fallax littera narrat)
    Deserere incoeptae munera militiae,
Istic ad laudem velis majoribus ibo.
    Erras: haud alia me decet ire via.
Qui semel impresso tellurem vertere aratro
    Coeperit, et retro post sua terga videt,
Nequicquam patrio speret considere regno:
    Sic ait, et vero praemonet ore Deus.
Quid quod ne possim sacris discedere castris,
    Objecta per te relligione vetor?
Tu mihi, tu quondam (memini) narrare solebas
    Omina natales quae praeiere meos:
Nescio quis gravida fulgor tibi visus ab alvo,
    Qualis quum roseo Phosphorus ardet equo;
Tum tibi, Lojolidum felix quod tessera praefert,
    Augusto inscriptus nomine venter erat.
Ergo quid frustra Superum contra omina pugnas?
    Exitus hic vitae debuit esse meae.
Frustra jam precibus, frustra pugnabis amore,
    Frustra et maternas experiere minas.
Quid mihi cum rigidis, quas jactas, saeva catenis?
    Non sum qui possim per tua vincla trahi.
Jam retinent vinctum Divinae vincula Matris,
    Numinis et de me tanta merentis amor.
Haec ego, queis teneor felix, si rumpere possim
    Vincula, et excusso vivere servitio;
Tunc licet Armenia dicar de tigride natus,
    Tunc ferus, et scopulo durior Hadriaco.
Ah Mater, rerum Mater carissima! si te
    Vera mei fixa in pectore cura tenet;
Consilia in melius referas; jam pone querelas,
    Neu sortem, tanquam sit mea flenda, dole.
Tu quoque, tu pro me potius gratare Tonanti,
    Et memori laudes, ut decet, ore cane.
Certe ego non fuerim, praestem licet omnia, gratus
    Quo magis hac oro me quoque parte juves.

Sic tibi Coelestes optes quae cumque secundent,
    Totaque sint vitae candida fila tuae;
Et mala pallentes quae nunc vis occupat artus,
    In pelagus rapidis Vistula portet aquis.
Hoc quoque me precibus pro te contendere par est.
    Et facio, oblitum nec videt ulla dies.
Ergo vale, et mihi submissa te fronte roganti
    Materna, precor o, fausta precare manu.

VARIORUM ELEGIAE.



ELEGIACORUM LIBER V.

JO. JOVIANI PONTANI.

DE MUNDI CREATIONE.

Hoc coelum, quaeque obliquo distincta meatu,
Sed certa ferri sidera lege vides,
Telluremque suo libratam pondere circum
Quam cingit rapidis Ennosigaeus aquis,
Spirantesque avium tractus, fusumque superne
Qui cuncta aetherio temperat orbe Jovem,
Antoni, Deus e nihilo, Deus omnia fecit,
Et formam rebus jussit adesse suam.
Ipse sua voluit coelum splendescere luce,
Et terras caecae noctis habere vicem.
Accendique diem claro de lumine solis,
Solis et auratum mane redire jubar:
Alternisque atrae lucem concedere nocti,
Temporaque hinc spatiis ire coacta suis.
Bissenisque vagum complevit mensibus annum,
Ut tamen in partes quatuor omnis eat.
Namque ubi sol nostro languens sese eripit orbi,
Frigidaque hibernis terra madescit aquis;
Saevit hyems incana gelu, riget horrida bruma,
Tum tellus foetu concipit aucta suo.
Ast ubi vicinos sol ipse recurrit ad ortus,
Excursu et parili noxque diesque ruunt,
Terra suas ostentat opes, et divite gemma
Vestit pampineas vitis opaca comas.
Ludit et in pratis varium ver, ludit et aestas
Torrida, et ipsa suas sedula curat opes.

Haec frumenta manu legit, haec et in horrea condit,
    Quae mox versa rotis parca colona terat.
Hinc cedente die, longe et crescentibus umbris,
    Autumnus pleno fert sua poma sinu,
Ac Bacchum plenis docet expumare lacunis,
    Sordida dum celeri sub pede musta fluunt,
Sic statuit Pater ipse hominum, rerumque Creator,
    Annua perpetuas munera obire vices.
Quin etiam, spirare suis de partibus orbis
    Ventos, et patriis nomen habere locis.
Namque ab Hyperboreis Aquilo volat impiger antris,
    Excitat oppositas humidus Auster aquas.
Eoos ciet Eurus equos: at mitis ab orbe
    Hesperio Zephirus lenia flabra movet.
Idem etiam occultos alta ad convexa vapores
    Sustulit, ac terrae vertit in auxilium.
Unde cadunt imbres, et matutina pruina,
    Et grato sitiens rore madescit humus.
An non et summo decurrunt vertice rivi,
    Et cava muscosis fontibus antra sonant?
Unde sitim pecudesque, feraeque, armentaque sedent,
    Temperet et riguum caerula lympha solum.
Quando aer quoque nimbosis inclusus in antris
    Cogitur in laticem frigore, et inde fluit.
Ne qua igitur mundi regio vacet, implet et undas
    Piscibus: hi campo liberiore natant,
Ac gregibus variis ingentia regna frequentant,
    Nullaque squamigera gente lacuna caret.
Alitibusque auras, celebrat, quibus indit et alas,
    Et corpus penna versicolore tegit
Induit et virides frondenti gramine colles,
    Et nemora arboreis velat opaca comis.
Communem et statuit victum e felicibus agris,
    Pomaque frugiferis ducit ab arboribus.
Quo varios usus homini, pecorique avibusque
    Praestent, ac vitae munera certa ferant.
Et jam quadrupedes foetus, obnoxia morti
    Corpora, plumosos ediderátque greges:
Tum Deus humanos effingere molliter artus,
    Membraque de tenui ducere coepit humo.

Cunctaque formarat studio perfecta magistro,
Quaeque artem referant, artificemque suum.
Mox auram aethereo de fomite fundit in illum:
Vive, ait, et proprio membra labore fove.
Arcanae mox partem animae de mente profunda
Libat, et erecti spirat in ora viri.
Dux, ait, haec hominum generi sit, et ipsa magistra,
Et sua constituant hac duce, seque regant.
Hac validas ponant urbes, hac jura notarint,
Hac coetus pariter, justitiamque colant.
Conjugium ac thalamos discant ratione magistra
Servare, et casta relligione focos;
Atque artes tractare bonas, et munera coelo
Digna, et qui factis nomen ad astra ferant.
At postquam immemores recti coelestia dona
Vertêre in facinus, perniciemque suam;
Immemoresque boni, spreta pietate fideque,
Admorunt proprias in sua fata manus:
Grassati et patrium in jugulum caedesque suorum,
Miscuerunt, Stygio pocula tincta lacu:
Inque virum saevit coniux, in pignora mater,
Pro scelus! ac miscet fasque nefasque furor.
Haec Pater ut celsa miserans prospexit ab arce,
Sisteret ut sceleri, criminibusque modum,
Progeniem in terras summo demisit olympo,
Quaeque hominis gereret munia, quaeque Dei.
Haec coeli secreta, et inenarrabile Patris
Consilium explicuit, quae bona, quaeve mala:
Quae vitanda homini, quae vitae forma sequenda;
Quaeque bonos maneant praemia, quaeque malos.
Denique mortem obiit, vitae dum consulit ipsi,
Atque suo in coelum sanguine fecit iter.
Quo magis admiranda Dei clementia summa est,
Cui fumet quicquid terra Sabaea ferat,
Quicquid Arabs: date thura focis, costumque cremate,
Et date cum multa thurea dona prece.
Pieriosque adhibere modos, et carmina, dignum est,
Antoni, quae te gloria prima manet.
Hyblaeo cui rore madent et labra, cui amnis
Castalius pleno gurgite fundit aquas,

Nysaeique haerent insigni fronte corymbi,
Et coma Pieria fronde revincta viret,
Felicemque animum pascis pietate, fideque,
Nilque tibi vera est relligione prius.
Quodque decet, bona cuncta Deo, justumque, piumque;
Adscribis, nostrae sed mala nequitiae.

JACOBI SANAZARII.

AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

Sancte Senex, quem nec sceleris contagia nostri,
Nec pessum vitiis saecla dedere suis;
Æquasti magnos qui paupertate triumphos,
Tantus amor niveae simplicitatis erat.
Silva tibi sedes, viridique e cespite lectus,
Explebant mensas amnis, et herba tuas.
Talis erat priscis victus mortalibus olim.
Sed priscis tantum vivere cura fuit.
At te diversos naturae expendere casus
Juvit, et instantes Divum aperire metus:
Submotumque oculis animo percurrere coelum:
Quasque tenes sedes, mente adiisse prius:
Noscere praeterea cunctarum exordia rerum;
Quod vix humanae conditionis erat.
Magnum opus, ut prima surgentis origine mundi,
Omnia sint senis edita luciferis:
Utque Pater sancta demum cessare quiete
Perfecto artifices jusserit orbe manus.
His addis cultusque pios, ritusque verendos,
Cunctaque legifero tradita sacra Duci:
Quaeque suis castae saeclis cecinere Sibyllae:
Quaeque Sacer Vatum Spiritus ore refert:
Sidereos Partus, demissaque pignora coelo,
Atque inopes cunas, stramineumque thorum:
Speratumque diu terris, coeloque probatum
Verum hominem, verum mente, animoque Deum.

Hinc et supplicium infandum, atque opprobria mortis,
Claraque de Stygia ducta trophaea domo:
Denique, ut ad Patrem, populo spectante suorum,
Cesserit; igniferis praesideatque locis:
Quantaque nos maneant promissae gaudia vitae:
Quantaque venturae gloria lucis erit.
Miremur, tibi si placidi penetrale Tonantis,
Et patet immensi regia clara poli:
Quum tantum his superas meritis sit scandere in arces,
Qua plaga securum lactea monstrat iter?
Scilicet inde datur terras spectare jacentes,
Et circumfusi brachia curva maris,
Solis et ardentis radios, lunaeque recursus:
Qualiter et pacta stent elementa fide:
Nec minus aeternis niteant ut sidera flammis:
Et peragant varias noxque, diesque vices.
Felix, qui nostras potuisti linquere curas;
Et procul humanas despicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem;
Quaeque tibi gratos praebuit herba toros:
Quaeque arbor, rupesve sacra te fovit in umbra:
Et quae nunc manes continet urna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita sub antris;
Nunc pedibus data sunt astra terenda tuis.
Attamen o dic, Sancte Pater, dic, addita coelo
Gloria, dic, patriae fama, decusque tuae:
Ecquid te solitis mulcet sapientia chartis,
Mollis ubi Elysium concitat aura nemus?
An juvat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana rosa?
An mage virgineis sedet invigilare choreis,
Quum deceat coelo, quidquid in orbe libet?
An potius toto Superum spectante senatu,
Diluis aethereo crimina nostra foro?
Denique quidquid agis, nitidi novus incola coeli,
Pectoribus nostris non leve Numen eris.

IN DIE FESTO

D. NAZARII MARTYRIS

QUI POETAE NATALIS EST.

Ecce mihi totum lux exspectata per annum
Jam redit; Aoniae serta novate Deae.
Haec me vitales genitum produxit in auras;
Jussit et erectum tollere ad astra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate hyacinthis:
Cingite et intexta limina nostra rosa.
Sic etenim coluisse decet Geniumque, Laresque:
Ferte coronato thura, merumque foco.
Tuque apio innexos dudum acceptura poëtas,
Splendida solennes instrue mensa dapes.
Hic mihi puniceo Pontani Musa cothurno
Incipiet posito carmen hiare mero:
Naturaeque vias, tenerique exordia mundi
Proferet; et certa cuncta obitura die.
Crassus at aeterno frondis redimitus honore,
Solvat Pieriis ora rigata modis:
Et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,
Ostendatque Atavi regna opulenta mei:
Regna male ad seros heu! perventura nepotes;
Dum versat varias sors inimica vices.
Altiliusque novos Superis laturus honores,
Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sfortiadum mox dicat, Aragoniosque hymenaeos:
Jure quibus cantus aequet, Homere, tuos.
Nec gemat exsilium Spartani Musa Marulli,
Ventura ad nostras ingeniosa dapes:
Verba sed antiqui reddat, numerosque Lucretii;
Dum magnis Divos laudibus accumulat.

Adde tuos, Puderice, sales; adde inclyta Patris
Eloquia; adde animo tot bona parta tuo.
Jamque Panhormitae lusus, et scripta recense,
Et Jovianaeae tempora amicitiae.
Hos inter meritis rediens Aquivivus ab armis,
Prodat honoratae praemia militiae:
Atque choris princeps docti argumenta Plutarchi,
Cumque suis referat dogmata principiis.
Ipse autem haud dubitet Cabanilius acta referre
Vel sua, vel magno juncta Parentis Avo.
Nec Phoebo minus ipse suo, quam Marte probatus,
Phocaïco pexas tingat in amne comas.
Tu quoque, quem juvenem veneror, dulcissime Garlon,
Incipe jam docta plectra movere manu:
Allifasque tuas mihi concine, dum vaga lunam
Sidera per tacitum nocte sequuntur iter.
Talibus auspiciis geniales ducere coenas,
Thespiadumque modis concelebrare juvat.

IGNATII GUILLELMI GRATIANI.

Qui dixit ad mulierem: cur praecepit vobis Deus etc.

Gen. 3 ver. 1 ad 5.

Forte procul digressa Viro, qua cultior herbis
Vernat ager, lentos moverat Eva gradus:
Et modo pendentes spectabat ab arbore foetus,
Et modo vestitum flore recente solum.
Tum vero motis adludit frondibus arbor,
Virgineumque tegit mollior umbra caput.
Interea blando colludens aura sussuro
Ventilat effusam vertice caesariem.
Et tremulas agitans avium chorus aere pennas
Argutos dominae convolat in digitos.
At venit ad virides tandem male cauta recessus,
Anguis ubi positis excubat insidiis.
Olli virgineae sunt ora simillima formae,
Et pingit varius caerula terga color.
Ut videt, assurgit Dominae, blandisque salutat
Vocibus: ad primos substitit Eva sonos.
Substitit, occultae sed necdum conscia fraudis,
Nec sibi subjectas docta timere feras,
Fit propior, spectatque caput, faciemque decoram,
Quaeque coloratis terga nitent maculis.
Tum Coluber. Regina soli pulcherrima rerum
Foemina caelicolas inter habenda Deos,
Qualis honor frontis! Qualis tibi gratia vultus?
Quantum flammeoli dulce micant oculi!
Non flos exit humo, non fulget in aethere sidus,
Queis praestare tuus non queat iste decor.

Quid memorem dotes animi? Quid lumina mentis?
Quid, quod cuncta tuo subjicis imperio?
Parce tamen dictis; longe felicior esses,
Si data cuncta tuis poma forent manibus:
Tunc mulier: quaecumque vides pubescere plantis
Sunt mihi, sunt caro tradita poma Viro.
Unum (causa latet) Numen modo denegat, unum,
Quod tenet in medio consita planta solo.
Adjicit et poenas: etenim quo tempore pomum
Tangimus, heu certum nos manet exitium.
At serpens: depelle metum: licet usque minetur
Fata Deus: volucres verba ferent Zephyri.
Haud quemquam fert ille parem, pomoque potitos
Vos fore ceu magnos novis in orbe Deos.
Tunc vestrae penitus scisso velamine menti,
Quodque bonum est, dabitur noscere, quodque malum.
Hoc est quod tales nolit vos carpere fructus,
Fulciat et vanis jam data jussa minis.
Ergo siqua tui, dilecti siqua mariti
Cura tibi est, vetitos experiare cibos.
Credidit infelix, et iniquo concidit astu:
„ O nullis tutum credere blanditiis!
Vos, quibus impubi simplex est candor in aevo,
Alloquor: haec vestris figite dicta animis.
Non deerunt, stygias, qui docti turpiter artes
Vos ita dulciculis vocibus alliciant:
Carpite delicias, Pueri, quas blanda voluptas
Porrigit, ah! dulces carpite delicias.
Membra vigent, tristisque procul mors concutit arcus,
Restat et in longas vita trahenda dies;
Nec tam turpe quidem, dum fervet mollior aetas
Solvere luctanti fraena parumper equo.
Qui dat jussa Deus, poenas qui saepe minatur,
Ille licet tardo flectitur obsequio.
Hos precor, infidos tamquam vitate dracones:
Vobis Eva suo facta magistra malo est.

De laudibus Divi Thomae Aquinatis.

Mira canam: nec vana putet, qui porriget aures,
 Abstinet a fictis nostra Thalia jocis.
Nuper flumineas tacitus spatiabar ad oras,
 Qua minus hibernis terra madebat aquis,
Multaque volvebam: niveo cum tectus amictu
 Mi puer est media visus adesse via.
Oris erat forma praestans, poteratque videri,
 Aurea si gereret spicula, pulcher amor.
Ut vidi, quo, belle puer, te proripis? inquam;
 Dic age, quo properos vertis, et unde pedes?
Perge domum; nam moesta parens te forte vocabit,
 Teque domi, patriis teque requiret agris.
Subrisit, dixitque: veni, dextramque tetendit,
 Atque per ignotas me jubet ire plagas.
Insequor: in vastos, loca florida, venimus agros,
 Quos neque vis Boreae, nec mala laedit hiems.
Vernat humus, riguique strepunt per gramina rivi,
 Et laevis arbuteas commovet aura comas.
Dulce queruntur aves, roseis quas ille labellis
 Dum strepit, in digitos attrahit usque suos.
Ast ubi floriferi protenditur area campi,
 Eminet excelsa condita mole domus.
Ostia prima patent nitidis suffulta columnis;
 Et per centenos itur ad illa gradus.
Tunc ego: quo ferimur? cujus domus alta? petebam:
 Fallor, an haec primo sunt loca culta viro?
At puer; Hispanae Gusmanus gloria gentis
 Haec cum militibus possidet arva suis.
Dixerat, et portis succedimus: obvia nobis
 Triplex, vix tacto limine, nympha fuit.
Prima rosis ornata caput, niveisque ligustris,
 Vestibus intactas praestat, et ore nives.

Altera nuda pedes, tenui velamine corpus
    Obtegit, et sparsas fert sine lege comas;
Tertia caeruleo circumdata fulget amictu,
    Subdit et aurato candida colla jugo.
Haec parere docet, mores docet illa pudicos
    Altera congestas spernere gaudet opes.
Ulterius protendo gradus; tum longa patescunt
    Atria, mirificis atria structa modis.
Æmula stelligero rutilant laquearia coelo,
    Et fundit varium plurima gemma jubar.
Stat nitido paries de marmore, fulgurat auro
    Postis et assyrium sub pede candet ebur.
At magis et gemmis, auroque corusca Virorum
    Turba subest oculis conspicienda meis.
Pars gemmis redimita comas, pars fulget in ostro,
    Pars cingit palmis tempora, parsque rosis.
Vir sedet in medio, cui lux caput aurea circum
    Serpit, et augustum fulget in ore decus.
Vestis ei bicolor: fusca est pars altera, candet
    Altera pars: mixtus sed placet ille color.
Hic Gusmanus erat: clare mihi stellula frontis
    Prodidit, et vario picta colore chlamys.
Horum gesta mihi, memorandaque nomina pandit
    Qui fuit ignotae duxque, comesque viae.
Hos, inquit, virides quibus ornant tempora palmae.
    Tradidit optatae barbara turba neci.
Hos, quibus augusta frons cingitur ardua lauro,
    Artibus erudiit sacra Minerva suis.
Illi regali tractarunt sceptra sub ostro,
    Illos ornavit pontificalis honor.
Hic Pius est sacram cinctus diademate frontem,
    Victor in Odrysias qui tulit arma rates.
Ille per Hispanas celebris Vincentius oras,
    Qui monet extremam non procul esse diem.
Dum puer haec memorat, novus ingruit aethera splendor,
    Et laeto resonant aurea tecta sono.
Unde nitor plaususque, peto. Puer, aspice dixit,
    Et regit extensa lumina nostra manu.
Illius e vultu fulgor novus exilit, illi
    Plaudunt diva cohors, purpureique Patres.

Aspicio, nitidis in vestibus emicat Heros
    Cui rutilat medio solis imago sinu.
Laurum fronte gerit, manibus fert lilia: Citri
    Gemmato suberant, quem premit ille, throno.
Hujus, blande puer, dixi, cum nomine mores
    Detege, si deceat; dixit et ille: decet.
Hunc Thomam dicunt, generis, quod traxit Aquini,
    Ast animi clarum nobilitate magis.
Parvus adhuc teneros factis melioribus annos
    Vicit, et in parvo spes quoque magna fuit.
Puber sprevit opes, et avitos sprevit honores,
    Et fugit patriae commoda quaeque domus.
At quae Gusmano virtutum signa magistro
    Edidit, eloquio vix feret ille suo.
Mirus ei candor, pietas quoque mira, nec unquam
    Abfuit aeternus, qui comes ibat, Amor.
Admiror, pictumque peto, cur pectore solem
    Ille gerat, laurum fronte, ligustra manu.
Purus erat (retulit): puros fert lilia flores.
    Haec sunt virginea serta gerenda manu.
Ingenio valuit: sacra sapientia lauro
    Jure coronatas huic jubet esse comas.
Sol erat, et stygias errorum dispulit umbras:
    Hinc gerit ornatos sole micante sinus.
Pluraque dicebat: tacitus mirabar: in illo
    Quaedam divini signa decoris erant.
Ast ubi dicta dedit, tenues secessit in auras.
    Nescio qua patrios ipse reviso lares.

CAROLI ROTII.

DAVID

ABSALONI FILIO PERDUELLI.

Accipe, Nate! tui quae venit epistola patris,
    Si tuus est, contra quem capis arma, Pater.
Diceris (infandum!) populos in bella ciere,
    Impiaque in patrium poscere tela caput.
Haeccine naturae pietas illa insita lege?
    Hic tuus in nos est obsequiosus amor?
Hoc et pro meritis tantis, ingrate, rependis?
    Et pater haec de te praemia nempe feral?
Qui sum te tenero semper complexus amore;
    Qui potui votis nulla negare tuis:
Qui census, et opes, et quidquid quaerere posses,
    Plus quoque quam ratio posceret aequa, dedi?
Idem, quum letho fratrem, scelerate! dedisti,
    (Infelix Ammon, hei mihi, ademte jaces!
Debueram certe deposcere sanguine poenas;
    Ignovi, et patris mollior ira fuit.
Quin etiam, quum te tota procul urbe fugassem,
    Nec sinerem vultus, dure! subire meos;
Emotus tandem lacrymis, precibusque recepi
    Mitis, in antiquum restituique locum.
At non haec certe mihi tunc promissa dedisti,
    Sed fore te patrio semper in officio;
Nec quidquam facturum adeo, quod tempore in ullo
    Causa mihi luctus quantulacumque foret;
Ante et Jordanis cursu reditura supino
    Flumina, decideret quam tibi cura mei.

Stultus ego haec verâ te dicere mente putabam,
Quae nimis eheu! nunc vana fuisse liquet.
Jam tum tendebas casses, animoque fovebas
Consilia in nostrum post reditura caput.
Et merui: siquidem monitus in tempore fidos
Audissem, nulla parte timendus eras.
Saepe mihi Joab fidam taciturnus ad aurem
Haec mihi cum multo dicta dolore dabat:
Rex, cave; quid cessas? jam nunc tua regia proles
Nescio quod tacita mente volutat opus.
Blanditur, prensat, currus parat, aureus urbem
Ambulat; et speciem sceptra gerentis habet.
Hoc ego non potui de te tunc credere crimen:
Sed quod nec potui credere, inique! facis.
Patria si pietas vultu quoque laeditur, ecquid
Laesa sit horrendâ proditione parum?
Majestas violata foret si regia tantum,
Poenarum quovis nomine dignus eras:
Nunc pater et princeps facto quum laedar eodem,
Ecqua satis possit poena piare nefas?
Haec in me vellem ne nomina bina coissent,
Tunc nosses, Regum quam gravis ira venit.
Felix, quis credat? laesa pietate fuisti!
Temperat offensi principis arma pater.
Hei mihi, quam dispar tecum certamen initur!
Tu partes imples hostis, amantis ego.
Perdere tu me vis, ego te servare laboro:
Et metuo ne me qui petis, ipse cadas.
O ego si possem diro cessisse furori!
Ne caderes, captas quae male, regna darem.
At nisi restitero, clament in me omnia jura,
Et populi peragar publicus ore reus.
Quid mihi cum bello? leges ignoscite! durum
At nimis est regem praeposuisse patri!
In diversa trahunt unum duo nomina pectus:
Pugnant ante oculos rexque, paterque meos.
Quod patris est votum, regis fortuna refellit.
Ut vincas nolo rex, voveoque parens.
Sed tamen haec inter cavi tibi, perfide! quantum
Servata regis conditione licet.

Quum proceres inter solio radiante sederem,
Marte super trepidi consulerentque duces;
Jam pars una pedes campis jamque ire pararet,
Ardua frenatis pars veheretur equis;
Quae censes de te: dederim mandata, sceleste!
Hei mihi! adhuc moestis fletibus ora madent.
Non ego non illis mando, ut certamina fortes,
Postulat ut regni publica causa, gerant:
Non loca, non tempus magis apta requirere pugnae.
Utque decet, parta laude redire domum.
Haec ego, quae fuerant regis mandata, relinquens
Altera sollicito digna parente dabam:
Magnanimi proceres! en quo pervenimus! inquam:
In natum cogor suscipere arma pater.
Si quid Jessidae, si quid vos gratia Regis,
Et patrius si quid pectora tangit amor:
Rem gerite, at puerum misero servate parenti:
Hoc ego rex vobis mando, parensque rogo.
Non illum, quamvis in me sit perfidus, odi:
Quidquid agit, sanguis est tamen ille meus.
Plura locuturum procerum lacrymante corona
Singultus mediis praepediere sonis.
Scilicet ista mea est pro tristibus ultio factis,
Simque licet per te proditus, haeret amor.
At tu cui mitem mos est odisse parentem,
Pensas offensis tot benefacta novis.
Jam certus patria regnum tibi caede pacisci,
Infanda populos seditione cies;
In facinus sumptis duce te concurritur armis,
Nullaque pars diro Martis amore vacat.
Quo periturae ruis? furialia caepta relinque:
Nescis ultorem post caput esse Deum?
Scilicet ex alto prospectet lentus Olympo,
Quo nullum majus saecla tulere nefas?
Nec jam fulmineas tantus consurgat in iras;
Quantus tartareo torquet in igne reos?
Fallimur? an toto crepuerunt classica coelo?
Visaque per nubes arma dedere sonum?
Nosco equidem: Deus, ecce Deus! vindexque parentis
Haesura in diro pectore tela gerit:

Vindice sub tanto non fas adversa timere:
    Jam pridem forti me tegit ille manu.
Cissidae potui furias evadere, quamvis
    Inferior longe viribus unus eram.
Ille potens regnis, ego pars quotacumque popelli:
    Ille erat instructus milite, inermis ego:
Ad caedem tantis quaerebat viribus ille:
    Quaesito mihi nil, unde juvarer, opis.
Nunc contra tantis ineam quum praelia turmis,
    Regalique geram sceptra timenda manu,
Et pater in natum male proditus arma capessam,
    Possum ego conatus, stulte! pavere tuos?
Vellem Cissides vitasset Numinis iram!
    Hei mihi quam diro funere mersus obit!
At quid ago infelix, et vulnera saeva retracto?
    Saepius audita est tanta ruina tibi.
O utinam saperes, et qui fuit exitus illi,
    Concuteret justo pectora surda metu!
Externi exitium qui me petiere, tulerunt:
    Tu qui me patrem prodis, inultus eris?
Europae, atque Asiae, terraeque Libystidos arma
    Sub tua certatim signa licebit, eant:
Nil agis: in tenues recident molimina ventos,
    Et tibi pro lauro tristior arbor erit.
Nuper quum media caperem de nocte quietem,
    Terruerunt animos talia visa meos.
Vidi ego te trepidum ex acie, Martisque tumultu
    Dantem sollicitae terga repente fugae.
Quadrupedantis equi subigis latus: ocyor Euro
    Ille volat: cursu devia rura petis.
Obvia quercus erat: ramo fugientis adherent
    Implexae vento concutiente comae.
Multa reluctatus pendes tamen arbore: liber,
    Utque erat a cursu concitus, ibat equus.
Ecce autem procul horrendis conspectus in armis
    Miles, et in vultu signa minantis erant.
Qui facis? exclamo: nihil ille: at protinus hastam
    Torquet agens: prohibet scribere plura dolor.
Excutitur terrore quies, gelidusque secutus
    De toto sudor corpore membra lavat.

Ex illo afflictus vitam traho, nec mihi cessant
    Unquam tabifico rore madere genae,
Tistis et ante oculos semper mihi quercus oberrat,
    Et videor casus ipse videre tuos.
Scilicet huic recident male sanae coepta juventae:
    Regna petis juveni dum tibi fata paras.
Fortunae impatiens, nimium vis esse beatus,
    Et properas idem, quod fugis, esse miser.
Quam metuo ne dum temere sublimia captas,
    Visas infernae trista tecta domus!
Vinea non illic Engaddi, et Galgala myrto
    Consita, et irriguis buxifer Hebron aquis:
Regia non, pulchraeque aedes, quas scilicet unus
    Ut teneas, patria spargere caede juvat.
Tunc igitur (tristi nullum sit in omine pondus)
    Ibis in aeternos hei mihi! praeda rogos?
Si potes ah! tantam, sed non potes, effuge pestem,
    Dumque licet saeva projice tela manu.
Nec metuas, quod tu regemque, patremque petisti:
    Tristia Lethaeis acta dabuntur aquis.
Quo prius ipse loco fueras, eodem esse licebit,
    Pluraque quam tuleris: tu modo posce; feres.
Sic erit; et major quo sit fiducia, spondet
    Hoc interposita rexque, paterque fide.

SANCTO FRANCISCO XAVERIO

PRO SALUTE REGIÆ SERENITATIS FRIDERICI PRINCIPIS ELECTORALIS SAXONIÆ VOTA.

Dive, fave: tuus ecce Cliens, tibi deditus uni,
    Plus oculis qui te diligit atque anima,
Qui te longinquis veneratum venit ab oris,
    Spes Regni, Patris gloria, Matris amor,
Saxoniae Princeps Fridericus, Regius hospes
    Ingreditur, templis procubuitque tuis.

Aspicis ut totis inhians te sensibus, aram
Obsidet, et cupida te sibi mente vocat?
Nempe rogat; sibi poplitibus qui leutor inhaesit,
In Tibrin per te, Dive solutus eat.
Quem non paeoniaeque artes, studiumque medentum
Balsamaque, et docta pharmaca mista manu.
Tota nec Inarime Bajarum maxima arenis,
Aut lympha potuit vincere sulphurea;
Dive, tuo sperat nutu deponere morbum.
Hanc spem non animis auferret ulla dies.
Et potes et meruit. Non te (quando omnia nôstis
Caelestes) laudum longa per orsa morer.
Tantum oculos, vultumque notes, habitumque precantis:
Nempe unum e vestro dixeris esse choro.
Quare age quid cessas? quod te rogat, annue praesens
Annue, neu dura longius ure mora.
Te meminisse decet, tunc quum mortalis agebas
Nec tantus, quantus nunc es in orbe, fores:
Ut sacris per te lustrata Aurora latinis
Obstupuit tantis pallida prodigiis.
Illa etenim fusasque acies, et jura procellis
Imposita; et trepidis addita frena notis,
Flammasque e Coelo, tempestatesque vocata,
Et Phoebi jussos condere lumen equos;
Illa etiam pestemque et morbos vidit abactos,
Redditaque attonitis corpora functa focis.
Haec, et plura olim: nunc te quum Regia Coeli
Accipiat laetis sedibus Indigetem,
Quum tantus late regnes, et nota sit illa
Qua potes, aeterio gratia rara foro,
Ut tabulae, et passim voti argumenta potentis
Dona tot e sanctis postibus apta docent;
Unius affecto depellere corpore morbum
Supplicis, immensi, credo, laboris erit.
Aspice Lojolidum tua gens quoque, pervigil usque
Retius et toto pectore sollicitus
Haeret, et in longum fletu tibi supplicat, et quum
Saxonidum meritis se neget esse parem,
Solvendi pro se partes tibi, Dive, relegat;
Et merito: ad vestras tutius itur opes;

Summaque sit quamvis alieni maxima, vobis
Defungi facili conditione licet.
Te volo, si dicas, Friderice, valere; repente
Ille valet, grates et tibi sospes agit.
Ah! precor ah! tali jam nunc bonus utere verbo:
Pendere ex illo publica vota vides.
Ite alacres! quantum populorum Vistula et Albis
Ambit, caerulea fertilis omnis aqua;
XAVERIER ingenio sic est mihi credite; ab illo
Non unquam rediit irrita turba domum.
Ite alacres! laetisque onerate altaria donis,
Quodque cupit tribui jam sibi quisque roget.
Auguror: optatis Friderico quisque salutem:
Nec quisquam majus, quod sibi poscat, habet
Sic est, magne Pater; multos servabis in uno:
Res est prae cunctis digna favore tuo.
Quis scit an et tanto gratus pro munere causas
Irarum oblitus, dissidiumque vetus,
Et placidam accipiens mentem mitissimus Amnis,
Amnis ab Hercyniis saltibus exoriens,
Qui Dresdam, floremque arctoi interfluit orbis;
Ausonii quondam terminus Imperii;
Albis io tandem, pacis te, Dive, sequestro,
Antiqua discat Tibrin amare fide.
Fallor? an Augustae TRIADI describitur aedes?
Coelo operis formam desiluisse reor:
Dresda, fave, tibi surgit honos. Ignoscite fasso
Templa Atavûm tanti vestra ruina fuit
Huc Paros, et Lygdos, huc saxa virentia mittit
Thaenaros, et roseo picta colore Nomas.
Di bene, quod rivis argenti plurima manas,
Misnia; non peregre quaerere oportet opes.
Ludet io Cyclops, patriisque excocta caminis
Artificum subeat lucida massa manus.
Partem opere in tanto nec parvam tu quoque habebis,
FRANCISCE, a magno prima Tonante ferens.
Nempe indonatum pietas te Regia linquat
Augusti: tantum suscipiatque nefas?
Ille tuae regnum fidei concredidit. Ille
Auctorem dubiis te sibi rebus habet.

Auspice te sumit, te sumta reponit et arma,
Deque tuo legio nomine dicta sibi est.
Idem etiam, ut de te soboli cognomen adoptet
Quamvis ingentes spernere gaudet avos.
Caetera quid memorem? quam sit tibi deditus, et quam
Te ornare usque novis muneribus cupiat;
Non ullo monstrante tenes. Nunc quae nova porro
Dona dat, accipias qualiacumque, rogat.
Ingens Oebaliis alte suffulta columnis
Ara fit; e Coelo te quoque adesse decet.
Dic, bone, dic Divos inter mitissime, in auro
Effingi docta qualis ab arte velis?
Ipse equidem nolim talem te effingere, qualis
Spectari vulgo qualibet aede soles;
Aut plebem instituens sacris, aut flumine sancto
Aspergens Regum tempora Bungalidum,
Aut etiam qualem morientem, ah! vidit in antro
Insula Sinarum proxima littoribus
Haec vetera, et nulli non visa, aut cognita: major
Non prius ostensis gratia rebus inest.
Aureus in medio stabis mihi; dextra decenter
Sublata in morem fausta precantis erit,
Ante pedes faciam natum procumbere, signans
HOC . PRO . COMMISSA . RELLIGIONE . PATER.
Haec esto nova forma operis. Ne, quaeso, moreris
Artifices. Viden' ut turba parata venit!
Quare age, dum sacras pendens Fridericus ad aras
Non ulla laxat vota precesque mora:
Dum Pater Augustus, dum Regia Mater, et omnis
Omnis Saxonicae turba novella domus;
Dumque Ignatiadum tota cum Gente Magister,
Romaque pro charo Principe vota fecit:
Exere, io! dextram dextram tot mira patrare
Assuetam, et Juveni fausta precare pio.
Si quid id est, gemmasque etiam circumspice, et aurum
Unde recens illi splendor, et auctus honos;
Scilicet hoc misso tibi munere Regia Mater,
Qua licuit, studium testificata suum est.
Illa tibi noctes vigilans operosa laborat,
Et textum phrygia sedula pingit acu.

Assistunt natae circum data pensa trahentes,
    Inter quas tenui sic ait ipsa sono:
Mittenda haec Domino (nunc o nunc promite vires)
    Quam primum nostra munera facta manu.
Forsitan officium famulae dignatus inertis
    Et nos, et solito nostra favore tegat,
Forsitan et (sed enim tanto haud me dignor honore
    Et mora prodigiis sunt male facta mea)
Sed tamen illius si munere sospes ab urbe
    (Innocua o Matri turba feratis opem)
Si sospes Latia meus ille rediret ab urbe,
    Tunc ego, tunc illo sospite quanta forem!
Desinit in lacrymas; atque his quoque, non modo gemmis,
    Jam tibi mittendum scilicet ornat opus.
O Pater, o superûm mitissime! lente videre
    Hos matris fletus lente videre potes?
Parce metu, frontemque exporrige, Regia Mater;
    Mox certa liceat dicere voce, VALET.

S. JOANNES FRANCISCUS REGIS

P. MUTIO VITELLESCO

PRAEPOSITO GENERALI SOC. J. S.

ARGUMENTUM.

Summopere petit facultatem transmittendi in Americam ad Cannadensium salutem procurandam (*).

En iterum tibi cum lacrymis, Pater optime, fertur
Conscia propositi pagina fida mei.
Jam pridem mihi quae dederas, mandata peregi,
Per longas Superos consuluique moras.
Quo magis atque magis precibus responsa requiro,
Incessit thyrso me graviore Deus.

(*) Exemplum Epistolae autographae S. Jo. Francisci Regis ad P. Mutium Vitellescum Praepositum Generalem S. J. quae Romae in Tirocinio ejusdem Soc. religiose asservatur.

ADMODUM REV. PATER.

P. C.

Rescripserat V. P. mihi, quae est ejus humanitas singularis, et quidem, tunc se rationem habituram desiderii mei circa Cannadensem Missionem; quum primum id maturum foret.

Nil, nisi Iroquaeos, terramque Huronida verso:
    Anxius et blandis pascor imaginibus.
Jam videor mihi barbaricos lustrare recessus,
    Cultaque semiferis visere tesqua viris;
Jam capiti passim sanctos invergere rores,
    Agminaque Ausoniis tota piare sacris.
O utinam, quae tanta animus spe praecipit orsâ,
    Eventus per se sint habitura suos!
Ipse (nec inficior) male fortis fortia conor:
    Conari sed qui me facit, addet opem.
Quos legit, et lectos paribus Deus instruit armis,
    Nec sinit injusto pondere terga premi.
Aspice (1) Saphatiden junctâ bove rura colentem:
    Quam bene fatidici munia vatis obit!
Tum rudis upilio Tecue de saltibus Amos
    Attonat horrendis impia saecla sonis.
Nil ego quum possim, possum tamen omnia; tantis
    Si qui me caeptis destinat; auctet ope;
Det modo quae jubeat, jubeat quaecumque, facessam,
    Nec metuam ne non perficere orsa queam.

Ecce jam integer ab ejus ortu decurrit annus; passum est hyemem totam, totum floruit ver, tota maturuit aestate; et autumno, maturum certe est. Legat, et eligat illud tandem vestra benignitas, per Deum, Pater, obtestor: et sint licet, qui ab hac Missione petenda me avocent, quod, ut ipsis videtur, vix possit obtineri, vitione meo, an cuidam quasi fato nostrae provinciae grandem hanc difficultatem adscribant, ipsi viderint; talem tamen ego Missionem non despero, praesertim quum magnam mihi sua epistola Vestra Paternitas jubeat spem ipsius brevi consequendae. Det igitur quod jubet, supplex oro, et jubeat quod vult.

Vestrae Paternitatis

Albenaci 21 Nov. 1635.

Servus in Christo humillimus et filius indignus
JOANNES FRANCISCUS REGIS.

(1) Eliseus filius Saphat.

Hei mihi! quid cesso! viden' ut mercator ad Indos
    Solvit, et audaci remige verrit aquas?
Nempe ut longinquo referat sub sidere natas,
    Utilius tellus; quas sua celet, opes,
Aequora non, scopulosque, et monstra natantia Ponti
    Horreat, ignotas praecipiatque vias?
At nos qui causa tanto praestamus, inertes
    Ducimus heu patriis otia littoribus!
Qui causa praestat, praestet quoque rebus, et illuc
    Quo pietas, et fas imperat, acer eat.
Aspice Cannadicam, late qua pertinet, oram!
    Jam vasta heu! nullo vindice terra perit.
Scilicet obscoenis Pluto sacratus in aris
    Gaudeat infanda relligione coli?
Quosque Dei soboles Deus ipse redemerit; ausit
    Impune injustis tollere vindiciis?
Est mihi suffixum referens in stipite Numen
    Parva, sed artifici picta tabella manu.
Hanc ego jamdudum (si fas mihi vera fateri)
    Cernere non, duro sim licet ore, queo;
Illa mihi quamvis tacitis convivia verbis
    Usque facit, lentas increpitatque moras:
O piger! o nostrum nunquam doliture dolorem!
    Cessas, et nil te vulnera nostra movent?
Quos propter, tantos potui perferre labores,
    Ipse nec exiguo, dure! labore juves?
Nate Deo; tua non possum convicia ferre,
    Frangor, et attonito flagrat in ore pudor.
Ibo, nec facies deterreat ulla laborum.
    Jam mihi, jam longum, patria terra, vale.
Alma fides totum late ventura per orbem
    O ades, et niveâ carbasa solve manu!
Ille ego sim, sacris per quem lustranda Latinis
    Accedat signis Cannadis ora tuis;
Quem terat, assiduusque labos, et tristis egestas,
    Cui sitis, et pallens torqueat ora fames;
Quem merset sub aquis, quem lento torreat igni
    Barbarus, aut stricto cui petat ense latus.
Unde sed haec nobis? alios ea palma sequetur:
    Nos manet, heu! patrio sub lare funus iners.

An male praeteritae commissa piacula vitae,
Obstetis votis semper iniqua meis?
Pestifer annus erat, totasque impune per urbes
Sternebat passim corpora dira lues.
Ecce manus, Jesu castris quae militat, ardens
Prosilit, et miseros qua licet, arte levat.
Me quoque si possem mortem pro laude pacisci
In turbam, et caedem pulcher agebat amor.
Nec mora, do nomen lacrymis, prece, questibus insto;
Omniaque admoveo tela; repulsa venit:
Eheu! quid misero restet mihi, nunc quoque votis
Si veniat per te dura repulsa meis?
Parce Pater, neu me ductum spe decipe inani:
Non ego militiae posco aliena meae.
Ah valeat! qui castrorum securus in umbra
Sustinet aetatis tempora pigra teri.
Militis officium nostri est, non castra fovere
Segnem, non patriis insenuisse focis:
Exeat, excurratque vagus qua nascitur, et qua
Occidus Titan mergitur Oceano
En nova in Ammericcs aperit sese area regnis:
O quali vecta est Gallica classis ave!
Serius at duri sunt rupta repagula Ditis,
In nova Relligio commigret arva licet.
Jam fidei pia Massaeus (1), fortisque (2) Briardes
Spargunt barbarico semina prima solo.
Nec male respondet culturae terra: sed eheu!
Pars quota, nempe operis culta duabus, erit?
Vidit et hoc magni mens provida Regis (3) et ultro
Quid, mea, Loiolidum turma, moraris? ait.
Vestrum est Cannadicis operas inducere campis:
Ex illo seges est laeta petenda solo
Nam mihi Gallorum quo rem protendere, si non
Et sua protendat regna Latina Fides?
Salve o magnorum salve Rex maxime regum!
Non tua, cui vincis, deseret arma Deus.
At tu quid cessas Canadae transcribere Gallos?
Quod faceres per te, Rege rogante neges?

(1) PP. Enemundus Masseus Lugdunensis etc.
(2) Petrus Biardus Gratianopolitanus.
(3) Henricus IV Galliarum Rex.

Sed neque tu cessas, nec quae tua pervigil omnes
Pertinet in partes cura, monentis eget.
Jamque hos, jamque illos solatur epistola felix:
Sed quae soletur me quoque, nulla venit:
Nulla venit, totoque exspectans irritus anno
Scilicet incuso facta nefanda mea;
Namque aliud quid sit, quod votis usque repugnet?
Aut nihil, aut votis iste repugnat obex.
Me mea privari, credo, provincia nolit,
Cui gravis, atque omni parte pigendus ego.
Ingenium mihi nam tristis natura negavit,
Ut nequeam trista Pallados ire via.
Nota loquor: censu doctrinae exclusus, in imo
Haesi militiae per tua jussa gradu (1).
Nec taedet, laetorque magis: non omnibus apta
Omnia sunt: quisquis quae potes, arma geras.
Si mihi Socraticas non fas est tangere chartas,
Docta nec in sacro verba tonare foro;
At possum puerosque rudes, et plebis egenae
Agmine praeceptis instituisse piis:
Possum desertos excurrere fortis in agros,
Et colere agrestes, rustica corda, manus.
Testes Velaunûm montes, nemorosaque tesqua,
Et loca montanis vix adeunda feris.
Non mihi praeruptas labor est erepere cautes,
Pellereque obstantes pectus ad usque nives.
Nec piget hibernos sub divo carpere somnos,
Et temere in nuda sternere corpus humo.
Si quid id est, possum minimo quoque vivere: nec me,
Hospitio quisquam sentiat esse gravem.
Da mihi quae passim currunt Acheloïdas undas,
Da Cererem exiguam, caetera parce, sat est.
Quid tamen hoc refert? lento praecordia voto
Tendimus, ingratas pertrahimusque moras.
Scilicet hic standum est, parmaque inglorius alba
Hanc animam in castris deses oportet agam.
At non haec certe quondam sperare jubebas:
Eheu! nunc alia cur mihi mente venis?

(1) Cepit enim, ut dicimus, gradum in Societate.

Scribebas (memini) Perfer , maturaque nondum,
    Regiade parvâ concoque vota morâ.
Hei mihi pro parvâ quanta est mora ! praeterit annus,
    Nec desideriis aura secunda venit.
Vos eritis testes incensaque quaestibus astra,
    Nullaque non moestis humida nox lacrymis.
Non ita in apricis coquitur vindemia saxis,
    Cana nec aestivi sideris igne Ceres,
Ut matura mihi trepido sub pectore vota
    Fervent , tam longas nescia ferre moras.
Atque utinam ingentes, quibus aestuo, cernere curas
    Posset, aut qui me spiritus intus agit !
Haud aliter teneor patriis inclusus in oris,
    Quam cui barbaricâ compede crura sonant ;
Quamque ubi visa fera est, venaticus Umber, anhelo
    Pectore quem non vis ulla tenere queat.
Par desiderio non sum , Pater ! opprimor eheu !
    Et potes ad sensus ipse referre tuos.
Namque olim Albionem percussus amore juvandi
    Tu quoque sensisti , quam sit amara mora :
Tu quoque quam grave sit, quod aves, non posse tenere:
    Jam mihi libertas sit tua facta loqui .
Te memorant illis aegrum sedisse diebus ,
    Fundentem assiduas nocte dieque preces.
Pallor erat vultu , qualem Berecynthia buxus ,
    Aut nova derepto cortice cedrus habet.
Tum lacrymae potus , dolor esca , insomnia somnus
    Vixque erat ex illo nomen et umbra viro.
Scilicet haerebat cordi lethalis arundo
    Anglia Romano concilianda Patri.
Ergo expertus idem , nostros ne despice luctus.
    Hei mihi si nihilo te magis ista movent !
Cur molli reliquis , uni mihi pectore duro es ?
    Quid tantum admisi commeruique, Pater ?
Aut bene promerui , merces sit barbara tellus :
    Aut male, sit poenae pars quotacumque meae.
Quod te per Superos oro , per Numen , et illam
    Quae finxit mores cura paterna tuos ,
Annue ; neu me causando jam differ in aevum!
    Improbus ah! praedas, dum moror , Orcus agit.

CAMILLI ZAMPIERII.

AD SANCTUM JOB.

DE TECTO IN AUCTORIS DOMO REPENTE DELAPSO.

Non ideo quod mentem animi invictam, et tua facta
Dictaque, quo potui, carmine retulerim,
Immortalis Job, sperabam aliquam inde tuarum
Partem aerumnarum te dare nolle mihi;
Sed quod praesidium te hominum infelicium habere
Noram, et in adversis casibus esse pium.
Attamen, ut video, spem pavi prorsus inanem
Haec sinito tecum me modo pauca queri.
Quum mihi corrueret disrupta ingens trabe tectum
Te ne adjutrici non properasse manu?
Hoccine praesidium? haec pietas sperata clienti?
Sed tua forsan ego munera non merui.
Fac me non meruisse; tamen (si dicere fas est)
Debueras aliquid pro tuo honore mihi,
Pro pietate tua facere, ac multo magis ex quo
Tu adversae expertus vulnera sortis eras.
Nam meminisse potes quali tua pectora luctu
Tabuerint tunc, cum nuntius horribilis
Atro habitu, scissusque comas, atque edere vocem
Vix prae angore valens: tota repente domus,
In qua hilares agitare tui convivia nati
Assuerant (inquit) funditus acta truci
Impete ventorum cecidit, cunctisque sepulchrum
Una eadem natis ampla ruina dedit.
Res dura illa quidem! sed tu procul inde manebas:
Ipse autem medio constiti in exitio.

Tignorum audivi crepitum sua pondera primum
Ferre recusantum, grandine et horridius
Immani quum sternit agros, mugitque per auras.
Denso conspexi turbine praecipites
Depluere infractas tegulas, caementaque deorsum,
Atque o qui gelidus me pavor arripuit
Confestim, et coiit trepida in praecordia sanguis!
Quam timui natis, nequis abire volens
Nescius urgenti caput objectare periclo
Sese ultro invisûm ferret in interitum!
Quam timui uxori, quae currere, quaerere quidnam
Id strepitus, et quidnam esset id exitii!
Verba mihi deerant; casuque elapsus acerbo,
Non animi compos, non ego mentis eram.
Ut postquam saevo furere igni destitit ingens
Fulmen, de tacto surgit arator agro
Perculsus mentem ac stupefactus, ubi fragor illum
Maximus occisos straverat ante boves,
Qui cernit sine honore ullo, et sine frondibus altam
Pinum, quae placuit jam sibi visa procul:
Talis ego. At tu qui excipere, ac fortasse probare
Nostrarum duxti carmina Pieridum,
Immemor officii cujusvis linquere tanto
Me potuisti in discrimine semianimem?
An tibi quaeso labor tecto occursare cadenti
Ut possem saltem damna minora pati?
Sed quorsum haec ventis effundo rapacibus? o nos
Vere consilii, vere inopes animi
Mortales! quae luminibus non cernimus ipsis,
Magni non facimus munera caelicolum.
Impulsa dudum tacito ac molimine saevi
Hostis tartarei forte ruina meo
Ista parabatur capiti; aut cuicumque meorum;
Atque capillum unum laedere non potuit.
Cujus ope id factum? nosco te, Sancte, beatis
Certe ipse exieras anxius e domibus.
Et quoniam ruere omne mihi alto a culmine tectum
Debuerat: proh! quo credo equidem studio
In me ora, in me oculos vertebas, nequà periclo
Ligna ulla in tanto, saxave me peterent.

Quod tibi cunque ideo acceptum refero ipse, meoque
Numquam animo pietas effluet haec memori,
Effluet haec numquam. Tu vero aliquod bonus adfer
His deploratis casibus auxilium :
Inque tua esse fide ut dicar, queis auctus es olim,
Prospera fac itidem fata venire mihi.

FRANCISCI MARIAE ZANOTTI.

AD DIVUM PHILIPPUM NERIUM.

ELEGIA.

Etsi animum subito perculsus funere amici,
Quem nuper mihi mors invida praeripuit
Extinctum misere, atque ipso sub flore juventae,
Spem patriae, nostri spemque sodalitii,
Vix possum ingenium solitas appellere ad artes
Musarum, et mentem vertere ad haec studia,
In quibus exercet sese generosa juventus,
Tantis curarum fluctibus intus agor;
Non possum tamen, o felix, atque optime Nerï,
Hic ego non aliquos promere versiculos
Non quō facta tua, et divinas dicere laudes,
Et quae factorum praemia magna capis
Ipse putem me posse, aut, si possim, hoc opus esse:
Sunt qui-resque tuas, et decora, et titulos,
Virtutesque aeterno carmine complectantur,
Mi satis est animum expromere, et officium.
Scis tu; quum potui, pastores Arcadas inter
Quae tibi sancte Senex, carmina persolui.
Nimirum ingenuas ego tunc per Apollinis artes.
Quum nullis curarum aestibus abriperer,
Gaudebam, exultansque animo laetusque ferebar:
Nunc me crudelis nocte dieque dolor
Occupat assiduus, animique in limine perstat
Expellens omnem pectore laetitiam.
O Pater, o mihi da curae moderarier isti,
Et luctum tunc tantum comprimere, et lacrymas

Quas dudum cari mors immatura sodalis
    Exprimit. Haud peto ego hoc pro pietate mea.
Pro meritis, et pro virtutibus ipsius ipsis
    Pro fide, et eximia relligione peto.
Nam meminisse decet te, quae mihi multa precatus,
    Dulcia quum vitae tempora transigeret,
Ille fuit, quum se ante tuam prosterneret aram
    Dona ferens multis non sine lacrymulis;
Postea linteolo quas leniter abstergebat,
    Plorantem ne quod proderet indicium.
O qualem, et quam nunc mutatum tempore ab illo
    Dulcis Alexander, te miser excipio!
Dulcis Alexander nostri solamen amoris
    Quondam, nunc luctus, perpetuusque dolor.
Non jam ullam invises aram, non jam amplius ulla,
    Hei mihi! pro caro dona sodale feres,
Quem miserum liquisti, et pectore consternatum.
    Credo equidem, nec mi id quidlibet eripiat,
Te vita meliore frui, et coelestibus auris,
    Vesci, interque altos degere coelicolas.
Illic res omnes, rerum et primordia cernis;
    Tam multa unde exstant, tam nova, tam varia,
Quae nos ignari miramur, at omnia paucas
    Per leges Natura expedit, et faciles.
Ut solem obducant maculae, radiantiaque astra
    Fixa suis maneant singula vorticibus:
Utque iis circumfusa volumina materiai
    Immensis sese circumagant spatiis;
Atque alios orbes secum, ingentesque planetas
    Praecipites cursu praecipite abripiant,
Aspicis, ut suo de vortice quisque cometa,
    Exeat inque alios transvolet, inque alios.
Quamquam equidem nil haec plane sunt omnia, nil sunt,
    Ad tua si propius gaudia respicio,
Quum Deus illabens praecordia in intima, se jam
    Praebet, et ipse ipsam mentem animi alloquitur.
Tunc nempe illa nova, ac mira dulcedine rapta
    Exsultat, nec sese capere ipsa potest:
Haec quidem ego recolo, et tacitus mecum omnia verso;
    Felicem et te nunc esse scio, et fateor:

Quin etiam (adjuro teque , et tua numina , Neri)
    Sublevor, haec mecum ipse omnia dum reputo.
Nam decet immo aequum est, si quae sint gaudia amicis,
    Gaudere , atque eadem illa esse putare sua.
Sed tamen ut cari vultus , atque oris imago
    Mi redit, et nunquam, nunquam ego te aspiciam!
Nunquam te amplectar posthac! nunquam alloquar! o me
    Me miserum ! qui tunc intima ad ossa dolor
Labitur, et mentem, et sensus mihi surripit omnes!
    Quare ego per sanctam , quam violasse fidem
Me nunquam puto , tu nunquam certe violasti
    Te precor , atque simul te , venerande Senex,
Cui prisco de more sacrum hunc celebramus honorem,
    Si quidquam haec curas, atque hominum studia,
Votaque de coelo bonus aspicis; hanc mihi , quaeso,
    Si fieri potis est, demitte tristitiam.

CASTRUCCI BONAMICI.

IN NATIVITATE DOMINI (1).

ELEGIA.

Silvestrem musam meditabimur, Alphèsibaei;
Non venit a nostro grandior ore sonus.
Tu mihi, quem noctu nascentem in paupere tecto
Effudit niveo casta Puella sinu,
Christe fave, tibi musam dicimus Alphesibaei,
Haec Puero canimus, sunt Puero ista satis.
Venerat ad Stabulum, quo magnus Coelicolum Rex
Attigerat lucis limina factus homo,
Agresti in turba Pastorum Pastor et ipse,
Qui pascit niveas Alphesibaeus oves.
Attonitis oculis ubi constitit admiratus
Hos baculo incumbens edidit ore sonus:
Dicite io montes, et flumina, vos quoque silvae
Dicite nascenti carmina digna Deo.
Jam valeant Satyri hircipedes, Faunique bicornes
Pan, et Nymphae, aliis numina, monstra mihi,
Qui jubet induci pluvias, nimbosque sonantes,
Qui solem accendi, et lumina sera jubet,
Virgineum Deus ille Polo delapsus in alvum
Tandem straminea nascitur ecce casa:
Hic teneros flores, virides hic educat herbas,
Et sata, si visum est, imbre juvante rigat.

(1) In priore elegiacorum libello his elegiolis locus erat; sed cum mihi opportune non pervenissent, locum hic dare visum est.

Hic facit, ut simae tonsent dumeta capellae,
    Hic facit ut carpant pabula grata boves;
Dicite io montes, et flumina; vos quoque silvae
    Dicite nascenti carmina digna Deo.
Pro viola prius, et pro purpureo Narcisso
    Surgebant lolium, carduus, et salices.
Nuuc pro sente thimus, pro vili carduo Acanthus,
    Pro salice ambrosia, et baccaris, et lolium.
Cana prius gelidis squallebant arva pruinis,
    Atque erat in senibus gratia nulla rosis,
Pascebatque aegras deserto in littore spina
    Horrenti, et dura carice Pastor oves.
Nunc nemus omne viret, nunc omnis parturit arbor,
    Floreque se vario laeta colorat humus.
Nunc cythiso saturantur oves, distenta capellae
    Ad stabulum referunt ubera lacte novo.
Dicite io montes, et flumina, vos quoque silvae
    Dicite nascenti carmina digna Deo.
Cresce Puer, magni magnum Jovis incrementum:
    Prisca iterum redeant saecula, cresce Puer.
Ut Phoebus Coelo decori est, et sydera nocti,
    Ut segetes arvi, vitis ut arboribus,
Tu decus es nobis. Procul hinc furor, insidiaeque
    Et dolus, et caedes, luctus, et ira nocens.
Parcite vos etiam pecori furesque, lupique.
    Pastorum viles Rex colit iste casas.
Dicite io montes, et flumina, vos quoque silvae
    Dicite nascenti carmina digna Deo.
O ego quanta darem, si quae proscindit Amintas,
    Excolerem multo jugera opima bove?
Quod potui, pellem detractam tergore cervi
    Affero, ne laedat membra tenella gelu.
Hunc nuper queruli muscoso in margine fontis
    Incautum positis cepimus insidiis.
Capreolum matri damus: hunc cum saepe rogaret,
    Non retulit multa Cintia blanda prece.
Crastina Lupilli liquefacta coagula lacte
    Et feret in ceris mellea dona suis.
Dicite io montes, et flumina, vos quoque silvae
    Dicite nascenti carmina digna Deo.

Cum vero a terra poteris contingere ramos,
    Parebit jussis tum pecus omne tuis.
Nos tibi tunc ovium praestabimus ubera foetis,
    Carpemus ramis mitia poma tibi.
Atque tuas aliquis laudes incidet in ulmis
    Quas legat, et cantu Pastor ad astra ferat.
O crescant ulmi, pariter tua nomina crescant;
    Laudibus atque arbor crescat amica tuis.
Tu Puer interea blandum ridere Parenti
    Assuesce, et nostras excipere aure preces.
Exere lacteolos digitos, dextramque tenellam,
    Et sine me ex illa carpere basiolum;
Sumere da, formose Puer, da sumere quaeso
    Basiolum dulci dulcius ambrosia:
Haec cecinit, viridi et descripsit cortice fagi
    Qui pascit niveas Alphesibaeus oves.

NATALIS MATRIS DEI.

ELEGIA.

Natalem si, Diva, tuum, lucemque beatam,
 Auras qua primum prodis in aethereas,
Non alacres agimus, nec laetis sollicitamus,
 Ut quondam sedes, et loca nota modis;
Da veniam tristi vexatis undique bello,
 Jactatisque utro turbine militiae.
Aspice, tempestas quanta ignivomo e Phlegetonte
 Egressa Ausonios perdominetur agros.
Germanorum acies, et prodiga pectora vitae
 Hinc dolor, et regni dira cupido movet.
Illinc armipotens exercet Gallia bellum,
 Et secum ad caedes evocat Allobrogem;
In partemque venit latis Hispania terris
 Caerula ad Hetruscas velificata plagas.
Piuca ad Aegeum moles medium properascet.
 Quam melius repetens Imperium Solymael
Et melius junctis nostri ensibus extorsissent
 Odrysio reges barbara sceptra duci?
Non omnis summis trepidaret ab alpibus usque
 Ad superum infernumque Ausonis ora mare.
Quae nunc se miseram frustra aequore, et Apennino
 Septam, et Naturae claustra revulsa dolet.
Virgo decus coeli, terrarum perfugiumque,
 In cujus nostra est ventre recepta salus:
Tu potes undantes bellorum expellere nimbos,
 Tristaque armorum fulgura discutere;
Et jam sit nobis optatae nuncia pacis
 Fortunata dies, quae tibi prima fuit:

Ut quondam immensam Jovis iram, diluviemque
Exactus Arcus versicolor docuit.
Tempestate illa Rex altisonantis Olympi
Humanum largo perdidit imbre genus.
Namque Deum culpas, mores exosum et iniquos
Poenituit sontem composuisse hominem.
Quapropter pluviis Auster deductus ab antris
Flamine mundum omnem concutit horribili.
Quo de concussu sequitur gravis imber et uber,
Cunctaque terrarum fluctibus arva natant:
Et mare per colles effracto limite, et auget
Flumina aquis, et aquas, quae caecidere, suis,
Unaque cunctarum portans exordia rerum
Moles culminibus navigat aeriis.
Tunc Pater omnipotens ingentia damna misertus
Indoluit tam crudeli hominum exitio.
Jussit abire imbres, posuitque in nubibus arcum,
Quae vetet ultrices Deucalionis aquas.
At tu Diva potens Martis sedare procellas,
Et rebus pacem reddere compositis.
Euxino in medio, vel fluctisono Hellesponto,
Merge cruentati semina cuncta odii.
Effice, ut ad stygios redeat discordia lucos
Dissimiles scisso tegmine amicta humeros;
Et pax alma ferens ramos felicis olivae
Praecipue nostra regnet in Italia.
Tunc facilis, tunc laeta cohors certabimus usque
Dicere nos laudes, candida Virgo, tuas,
Et Musis operam dabimus, sanctoque Heliconi
Natalisque tui sic peragemus iter.

ALEXANDRI FAGNOLII FAVENTINI.

ELEGIA

DE JACOBO ANTONIO BASSANO

QUUM IS

SACRAS CONCIONES

MAJORIS JEJUNII TEMPORE

FOROCORNELII HABERET

ANNO 1751.

Qui primum coeco perculsus corda furore
Quotquot sese Christo addiderant comites
Totâ pene Asiâ ferus insectatur, et urget
Si possit leges, frangere forte novas;
Post celeri exturbatus equo, tum denique coeli
Admonitu Christi factus et ipse comes,
Eloquioque potens, et pectora numine plenus
Sacra eadem innumeros edocuit populos,
Illum ipsum, Bassane, tuo nunc ore locutum
Crediderim, illum ipsum vimque, animumque suum
Inseruisse tibi; tanto in nos impete fertur
Quae manat labiis copia mira tuis!
Namque ea perrumpens praecordia ad intima fervet
Sublimis per sensa omnia, et omnem animum;
Imperiumque in mentem ipsam sibi vindicat omne
Quamvis indocilem jura aliena pati:
Qualis muscoso erumpens de pumice rivus
Rupe sub incurvâ frondifero in nemore,

Mollem inter serpens sinuoso tramite clivum
Per nitida arguto saxa fugit strepitu:
Illum alacri pastor per ludum non modo saltu
Audeat, ast ipsum transiliisse pecus;
Si forte in valles dum se demittit opacas,
Eversis olli turbidus aggeribus
Undique collectos torrens immisceat imbres,
Protinus ille novis plurimum adauctus aquis,
Parvi indignatus cohiberi carcere sulci,
Ripaeque insultans liberiore vado
Terribilis per prata alte spatiatur et agros;
Quaque ruit, rapit una et pecora, et nemora
Non secus illa tuae divinitus addita linguae
Vis intus adeo versat agitque homines,
Ut quae conari una unquam natura nequisset,
Praecipûo Superum munere perficiat.
Nam quî mirificâ succensi corda Suadâ
Non magnum quodvis adgrediantur opus?
Jam libeat mediis caput objectare periclis,
Duraque pro sanctâ Relligione pati,
Messagetasque, Getasque, impacatosque Gelonos,
Damnatumque tuâ, parve Ithy, caede solum,
Et numquam domitos Romano milite Parthos,
Quasque cito Phasis perluit amne plagas,
Arentem et Lybien penetrare, et inospita longe
Ire vel extremos per loca ad Aethiopas,
Et quibus infanda (horrendum!) convivia praebent
Dissecta humanis membra cadaveribus;
Perpetuoque perusta aestu pervadere regna,
Perpetuoque etiam regna perusta gelu.
Nec timor infames vitare Busiridis ignes,
Et cava flammantis quemlibet aera Bovis
Suadeat, aut Poenos etiam exhorrere leones,
Horribilesque angues, Armeniasque tigres.
O fandi praeclaram artem, vocesque potentes:
Queis nullum egregium difficile est facinus!
Quis mihi nunc Romam facundo Consulis ore
Crudeli ereptam jactitet excidio,
Accensos et propterea in fera praelia cives,
Perdita cumque suo castra inimica duce?

Spectata aut cujus tria jam per saecula virtus
   Inter sollertes emicuit Danaos,
Quos tot jam aerumnis, durisque laboribus actos
   Ad longa illa omnes impulit obsidia,
Queis tot Dardaniae, atque Argivae robore pubis
   Per bis quinque annos occubuere Duces;
Donec in Iliacos perrupit Dorica muros
   Gens instructa vafri fraudibus Aeolidis:
Hos equidem tibi forte pares quis credat habendos
   Quo natura potest quem evehere ingenio?
At tibi praeterea coelesti orientia fonte
   Flumina inexhaustos sufficiunt latices
Divini eloquii, queis mira est indita virtus;
   Qualem humana nequit fingere conditio.
Impavidum haec nobis, et inexpugnabile pectus
   Praestat, et ad quaevis saeva paratum animum.
Quid referam quantâ recrees dulcedine mentem,
   Quantâ cor sensim laetitiâ afficias?
Mollia dum suavi exornas tua dicta lepore,
   Et facilis blandis vocibus exhilaras.
Ut dum vere novo graditur per amoena viator
   Bajarum aut culti littora Pausylipi,
Hinc roseam auroram coelo fulgere sereno,
   Et tranquilla alacres per maria ire rates,
Illinc auratis lucos pubescere pomis,
   Divitias olim, gaudiaque Hesperidum,
Et teneris spectans florescere messibus agros,
   Et juga vinctis laeta procul patulis,
Per sudum placidi trepida intremit aura Favoni
   Molliter et crines praetereuntis agit,
Adflatuque levi crispatae molliter undae,
   Et curvo illisae littore dulce sonant,
Laetaque jucundo responsant arva susurro,
   Et tremulis circum sylva strepens foliis:
Certe ego, te veneranda Deûm praecepta docente,
   (Namque ea sermonis gratia, visque tui est)
Infidos Galatas, geminoque obnoxia ponto
   Regna Ephyres, veterum regnaque nota Phrygum,
Heroumque magis memorandam caede piorum
   Aemathiam, binâ quam nece Romulidûm;

Isacidasque olim belloque, opibusque potentes,
    Nunc unâ insignes perfidiâ populos,
Posse putem rursus colla indignantia legum
    Nostrarum tenui supposuisse jugo.
Macte tamen, Bassane: Italis victoria in oris
    Magna, aeque et celebris gloria parta tibi.
Quisque etenim integros mores, et criminis expers
    Ingenium jam nunc, et proba consilia,
Et siquid deinceps aeterno laudis honore
    Dignum perficiet, debet id omne tibi.

HIERONYMI FERRI.

ELEGIA.

ANGELO NUNCIANTI MARIA ASSENTIT.

Expectata diu, multosque optata per annos
Insonuit placidis vox tremefacta modis.
Qua nova perciperent vexatae gaudia terrae
Altera jungentes foedera coelitibus.
Numinis ut sentit pudibundae verba puellae
Attonita sanctos et bibit aure sonos:
Salve, ait, o Virgo simul, et castissima Mater;
Ceu Dominam liceat te coluisse mihi:
Quandoquidem pura Proles se condidit alvo,
Jamque parat terris, quae nova dona ferat:
Salve: Te aligerum circumstent agmina fratrum,
Dum mundi repeto moenia, tanta ferens,
Omnia quae fausto intonuerunt percita casu,
Assensu et reperant damna vetusta tuo.
Dixit, et afflatu dum sensit Numina Virgo
Tam magni ille Patris constitit ante pedes.
Applaudunt Superi: primi post facta Parentis
Non fuit in coelo laetior ulla dies.

INFERNI RABIES, ET DESPERATIO,

COGNITO CONSENTIENTIS VIRGUNCULÆ RESPONSO.

ELEGIA.

Invidus at patrio quondam qui pulsus olympo
Tartareas cohibet sub ditione domos;
Et quamquam primo victus certamine, honores
Non valet indomito perdere corde suos.
Ast celeres tacita motus sub mente volutans,
Insidiasque novas irrequietus agens,
Callidus imperii quaerit protendere fines
Qua sol mergit equos gurgite quaque trahit;
Audit ut invisas percurrere gaudia terras
Mira et concussum signa dedisse polum!
Pallet et incertis questus rumoribus augens
Sedibus infernis jam nova bella timet.
Hinc furvas circum sociorum mittere turmas,
Quae loca cuncta petant, quae sibi cuncta ferant.
Et merito: quoniam seris volventibus annis,
Non bona captivum fata manere videt;
Sole renidenti circum mortalibus aegris
Cum ferat intactum foemina amicta diem.
Scilicet has lites haec esse minantia bella,
Quae misero vindex intulit Omnipotens,
Viperea facilem forma cum luserat Evam,
Incautum secum traxit et illa virum.
Talia dum memorat mordaces pectora regis
Pervigilis curae nocte dieque premunt.
Et fremat, et totum furibundis misceat ausis;
Fulsit ab aethereis hora beata plagis,
Quae crebris finem tenebris nitidissima ponat,
Et niveo referat tempora prima pede.

FRANCISCI CONTOLI.

ELEGIA

IN QUA RACHELEM JACOBI UXOREM DE SUA STERILITATE QUERENTEM INDUCIT.

Mene igitur thalamos nuptam petiisse jugales
   Isacide, castos mene subisse toros?
Nec posse ingenui jucundum pignus amoris
   Ferre meae dulcem spemque decusque domus?
Quod referat magni studia et benefacta Parentis,
   Molliter et nostros lusitet ante pedes.
Quid mihi nunc primi fervor juvat integer aevi,
   Quid juvat in roseo, qui nitet ore decor?
Haebreas inter Rachel pulcherrima nuptas
   Jam monstror digito conjugiique pudet.
Aemula progenies jactat ridetque pudorem
   Nostrum, naturae est quae minus aucta bonis.
Non tibi fatorum cura, dulcissime conjux
   Sperasti, et facilem demeruisse Deum.
Taedia quid prodest tam longa tulisse viarum,
   Quid prodest patrios deseruisse lares?
Bis septem soceri pavisti armenta per annos,
   Ut mea servitii praemia dextra foret:
Spes sobolis docuit duros superare labores,
   Spes docuit lentos fallere posse dies.
En jaceo, sterilesque diu perpessa hymenaeos
   Infelix, vitae jam piget usque meae.
Heu quid agam? Tantum quanam finire dolorem
   Arte queam, non mens consiliumque manet,
Vincula nunc frangam thalamos exosa priores,
   Alterius quaeram nunc male sana facem?

Horrendum reputans turpes discedite curae,
  Parcite confectum discruciare animum.
Incorrupta tibi servabo foedera lecti,
  Et tecum, conjux, sit mihi dulce mori.
At praestat coelum votis implesse benignum
  Thuraque cum multa saepe dedisse prece.
Ipsa etiam sterili persolvens vota cubili
  Dicitur ingratas Sara tulisse moras.
Laeserat huic flavos rugosa senecta capillos
  Cum sensit gravidi pignora certa sinus:
Talia jactabat: niveo Deus alite fulsit;
  Nec dederat rapidis vota ferenda Notis.

ANTONII LACHII.

ELEGIA.

EX PSALMO 41.

Cervus uti vitreas sitiens, Deus, appetit undas,
In te unum cupida sic ego mente feror.
Te fortem, vivumque ardet mens fervida, quando
Sistere me vultum fas erit ante tuum?
Quo Deus ille tuus? Cum saepius increpat hostis,
Nutrior heu! lacrymis nocte dieque meis.
At me laetitiae flentem vis recreat ingens,
Cum promissa meo lux subit illa animo,
Qua festos inter plausus, vocesque sonoras,
Quas tollit donis gens epulata sacris,
Rursus ego miranda redux tentoria visam,
Praesentisque adeam tecta vel ipsa Dei.
Quid te, quid nimium contristas, spiritus, ultra?
Quid mea sollicito corda timore quatis?
Fide Deo, referam sospes tum laudibus illum;
Quippe mihi una salus, unus et ille Deus.
Hinc, ego seu placidas errem Jordanis ad undas;
Sive humilem profugus pervager Hermonium,
Mens mea dum curis dolet acribus aegra, juvabit,
Numinis, alme Pater, me meminisse tui
Voce tua exciti, heu! se tollunt undique fluctus,
Atque undam ex imis evocat unda locis.
Meque super, celso quos mittis ab aethere, nimbi,
Et simul horrisonae grandinis ira ruunt.
At me jam tandem placido Deus ore videbit,
Et mihi lux nitido surget amica polo.

Interea Dominum, dum me nox opprimet atra,
  Haud cessem meritis dicere carminibus.
Hos supplex questus, et verba precantia fundam:
  Tu columen vitae, praesidiumque meae.
Cur unquam caepere mei te oblivia? cur nam
  Tristis ego, circum dum premor hoste, vagor?
Ille, jacent dum fracta malis ingentibus ossa,
  Effundit mixtis impia dicta probris.
Quandoquidem attonitum me sic compellat, et usque
  Usque rogans, iterat; quo Deus ille tuus?
Quid te, quid nimium contristas, spiritus, ultra?
  Quid mea sollicito corda timore quatis?
Fide Deo, referam sospes tum laudibus illum,
  Ille mihi una salus, unus et ille Deus.

JOSEPHI PETRUCCI.

IN VIRGINEM PARITURAM.

ELEGIA I.

Non erat eis locus in diversorio (Luc. II.)

Nam quae, mortales, dementia, quis furor unquam
Innocuum vos hunc impulit in Puerum,
Ut dias jam oras in luminis egressuro
Cognata angustus desit in urbe locus,
Atque gravis foetu, et tecti communis egena
Pellatur quovis Mater ab hospitio?
At qualis Mater! non moribus ulla pudicis,
Non illi claro se genere aequiparet,
Nulla decus formae par jactet: saxea posset
Pectora, quin saxo flectere dura magis.
Nec vos illa tamen flectit: tamen omnibus illam
Orantem atque inopem pellitis e domibus:
Pellitis, haud secus ac si despectissima matrum
Adstaret vestris improba liminibus,
Et vitam tolerare colo, tenuique Minerva
Abnueret, turpi marcida desidie.
Ah crudele genus! magnae tibi non satis urbes,
Non tecta in magnis urbibus ampla satis:
Multiplices tibi rura parant, ubi pomifer urbis
Ingerit Autumnus taedia, delicias;

Et platani steriles, et spissis laurea ramis
Debita praeripiunt jugera vomeribus,
Aestibus ut mediis projectum in gramine molli
Te nemus umbroso protegat hospitio.
Quin etiam si te capiunt fastidia terrae,
Ipsa fluentisoni te maris unda manet,
Molibus et refluunt tibi jactis aequora, pisces
Dum sua contractis damna quaeruntur aquis.
Tanta igiturne tibi vitae, ac tot commoda? Matri
Nil super huic Matri est, nil super huic Puero?
Illa igitur paritura petet pro divite tecto......
(Quamquam non ditem quaeritat illa domum,
Parva satis; tuguri tegmen sat pauperis illi,
Ne se, ne Puerum, tam fera laedat hiems.)
Hoc igitur miseranda Parens pro paupere tecto
Antra petet Boreae pervia flaminibus?
Antra ipsis deserta petet pastoribus? ipsis
Antra receptandis vix satis apta feris?
Ille autem ut vitae Puer egredietur in auras,
Pro saturis tyrio murice velleribus,
Pro cunis auro fulgentibus atque elephanto,
(Ah! tantas illi quid peto stultus opes?)
Vilibus at pro fasciolis pannisque resartis,
Nuda tegat rigidis corpora straminibus?
At rudibus pro culcitulis, sub fornice rupis,
Molle latus duro collocet in lapide?
Fallor? an haud frustra timuit praesaga mali mens?
Nascitur, ah! ubinam nascitur ille Puer?
Ah! quem, mortales, quem vos in lustra ferarum
Pellitis, exesis aspera pumicibus,
Quem siccis oculis nudum algentemque videtis,
Num quis, nescitis, quantus et ille Puer?
Humanos Puer ille licet collectus in artus
Infantis prae se nil nisi signa ferat,
Effusi in lacrymas, et luctisonos vagitus,
Ille licet sola qua ratione potest,
Levia protendens exoret brachia Matrem,
Algida ut admoto membra sinu foveat;
Ille tamen vagit quo nunc Puer ore, ministros
Posset in obsequium mille vocare suum,

Qui Domini nutum observent, et jussa facessant;
Seu Boream Aeoliae pellere in antra velit,
Et tepidos Zephyri se circum arcessere flatus,
Et rigidam in placidum vertere ver hiemem;
Straminibus seu sublatis ulvaque palustri
Molliculo libeat membra locare toro,
Et teneras violas, et languidulos hyacinthos
Sternere et halanti mixta ligustra rosae.
Quas nunc ille manus torpentes frigore tendit,
Admoto miserans et fovet ore Parens,
Coelum illae terramque olim, camposque liquentes
Iussu condiderunt aequoris omnifero.
Illae etiam, justas si quando arcessimus iras,
Amentesque nefas per vetitum ruimus,
Suetae inter nimbos fulmen torquere coruscos
Horrificis miscent omnia funeribus.
Ora lacus, quam late omnis patet, Asphaltitae
Testis, et incestae moenia Pentapolis
Diruta, sulphureis et adhuc fumantia taedis,
Ultrici jecit quas Puer ille manu.
Nec vero, mortale genus, vos tanta latere
Prodigia, Amoida fata canente, queunt.
Ecce, canit, thalamique expers taedaeque jugalis
Virgo sinu afflatus excipit aetherios,
Virgo parit: gnato nomen non scilicet unum:
Ille dator pacis consiliique potens,
Ille una Fortisque, Admirandusque, futuri
Ille Parens aevi dicitur, ille Deus.
Ille premit solium Iessidae Regis, aviti
Ille decus late proferet imperii.
Non illi pectus lorica impervia telis,
Non teget e rigido balteus aere latus.
Una fides lateri comes, indignataque terris
Quae dudum incestis cesserat Integritas:
Integritas revocata polo, quam pone sequetur
Victa triumphalis Pax super arma sedens.
Nec solae placida gentes in pace quiescent;
Pax dabit indomitis mitia corda feris.
Mixta lupis errabit ovis, passimque leones
Cum vitulis domito gramina dente terent.

Circum angues pueri rimosa cubilia ludent,
Intus agent teneras et sine fraude manus.
Haec canit Amoides, additque e littore rubro
Accitos partus visere virgineos
Delectos Arabum Proceres, Regesque Sabaeos,
Aurique et thuris non sine muneribus
Demissa coelo venerantes pignora, Matris
Et Gnati dios procidere ante pedes.
Quo tamen audaci properas, Elegeia, versu?
Tantane te nervis hiscere posse tuis?
Desine, non fallax quae Numen vatibus afflat,
Deterere exiguis grandia fata modis

ELEGIA II.

IN VIRGINEM PUERPERAM.

Qui mihi nocturni callis per opaca fuisti
Et comes, et custos, o Amor, attigimus
En antrum, felix antrum: heic conside parumper,
Et Puerum intactae Virginis e gremio
Qui laturus opem mortalibus aerumnosis
Prodiit, et sedes deseruit superûm
Humano non dedignans velamine dios
Obnubi vultus, aetheriumque jubar,
Mirare heic mecum et submisso poplite adora.
Ah! tamen humanis se artubus ille licet
Induerit, faciemque Dei celarit, ut aegris
Praeberet se hominum conspiciendum oculis,
Ah! tamen, ah! male firma acies subsistere frustra
Conatur, radios nec pote ferre, jacit
Assidue e sanctis Infans quos dius ocellis.
Hanc igitur, sobolis nata parensque suae
Natura meruit dici quae sola stupente,
Et Virgo et Genitrix, digna Deo Genitrix,

Sola modis junxit contraria nomina miris,
In natum ipsa suum lumina quandoquidem
Dejicit, obtutuque immobilis haeret in uno,
Hanc, age, miremur, Hanc, veneremur, Amor.
Fors meminit, toto ut trepidarit pectore quondam,
Virgineo niveas atque rubore genas
Sparserit, aetheria quum nuncius ales ab arce
Adstitit, atque unam se audiit Isacides
Inter felicem lectamque Deo Heroinas,
Aucta foret diae germine quae sobolis;
Solverit utque omnes trepido dein corde timores,
Afflatusque sinu exceperit aetherios.
Ac veluti pennis crepitantibus Amphitriten
Cum leviter Zephyri et leniter aura ciet,
Assurgit tremulo de marmore fluctus, te oras
Ut tetigit, placidis sternitur aequoribus,
Quem subsidentem confestim mille sequuntur
Dein fluctus, subeunt dein alii atque alii:
Sic varias Virgo species sub pectore rerum
Versat, sic variis gaudet imaginibus.
Iam subit aridulum, et madidum nil vellus ab imbre,
Proxima dum late rore madescit humus;
Iamque ille e mediis sese rubus ignibus offert,
Iam sese e mediis fluctibus illa ratis;
Atque rubum repetit non ulla incendia passum,
Atque jugis navem sospitem in Armeniis.
Quam gestit bona Virgo! mera oh! quot gaudia tentant
Et tacitum huc illuc abripiunt animum,
Dum sese in navi, dum sese in vellere, sese
Inque rubo agnoscit; dum rata signa videt!
Tantaque non capiat pectus quum gaudia, Natum
Iam versare ulnis, jamque fovere sinu,
Uberis ambrosio nivei jam pascere succo,
Oscula jam admotis frontibus eripere.
Longius ah! quid, Amor, tam cara in sede morari,
Quid prohibes? omne heic transigere abnuerim
Non aevum. Quidni mortales jam exuor artus,
Ut levis heic sistam spiritus? aut similes
Mi datur aut humeris pennas aptare tuarum,
Ut redeam, et Matrem heic assidue, heic Puerum
Contempler, neque divellar donec Puer isthaec
Tantus, tanta isthaec incolat antra Parens?

ELEGIA III.

EX POETICO QUODAM MENTIS AFFLATU ANIMORUM CÆLESTIS ORIGO RERUMQUE HUMANARUM TENUITAS INFERTUR.

Humani naturam animi, ceu crura manusque,
Qui partem primus prodidit esse hominis,
Scilicet ut genio male perditus indulgeret,
Laxans indomitis frena cupidinibus,
Nec Stygias pavitaret aquas, noctemque profundam,
Quo summi sontes Numinis ira adigit;
Ille quidem rationis egens, et degeret inter
Qui brutas vitam dignus erat pecudes,
Quem nunquam caeli Sophie de parte serena
Repentem placido lumine vidit humi.
Ergo, age, quae nostris insit caelestis origo
Mentibus audaci carmine, Musa, refer;
Quandoquidem veluti resides si corporis artus
Liquisset, tractus carpere mens animi
Aetherios gaudet, dedignaturque jacentes
Iam terras; atqui si foret illa simul
Corpore cum fragili compacta e principe limo,
Haudquaquam pennis fulgida praepetibus
Astra super veheretur, et indignantia solvi
Frangere nequidquam vincula discuperet.
Nec me Thespiades, proles Iovis illa, sorores,
Quae vanis hominum pectora imaginibus
Saepius, et falso vates ardore fatigant,
Longinqua haec caeli per loca detulerunt.
Quare ego, quae quondam commenta est Graecia, monstra
Haudquaquam miror, non genus Iapeti
Quos superis ignes e sedibus asportavit
Fraude mala, incautis intulit et populis;

Sublimemve plagam, caelum Titania pubes
    Montibus aggressa est qua rapere impositis,
Aetheriisque Iovem detrudere sedibus; aut qua
    Altus equis Phaëton excidit igniferis,
Aeternos (demens!) currus agitare, Patrisque,
    Ausus inexperta flectere lora manu.
Huc Sophiae me vexit amor, coelique beatas
    Heic solum, fugiunt quae rude vulgus, opes
Adspectare juvat; superas concentus et aedes
    Qui circum resonet, sidera dum rapidas
Praecipiti in numerum late choreas decursu
    Innectunt, bibulis auribus excipere.
Ac veluti exstimulans flagris auriga jugales,
    Quum campum effusi carcere corripiunt,
Et lora huc illuc laxans fluitantia, cursu
    Spectantum fallit lumina praecipiti:
Haud aliter longe coelo lateque vagatur
    Mens desideriis acta per astra suis.
Illa pedes quocumque infert, arcanaque rerum
    Omnigenarum, et motum inspicit et numerum;
Explere et studium visendi nescia, tractus
    Usque alios coeli transmigrat atque alios.
Iam te quis memoret terram? certamina caelo
    Quae quondam rebar stagna profunda maris,
Qua sese occuluere? meis quis ditia regna,
    Fluminaque et montes abstulit aërios
Luminibus? puncti vix instar cernere terras
    Exigui, et gentes hinc datur omnigenas.
Ergo tam tenuis (peream quid tenuius unquam
    Si sese nostros obtulit ante oculos)
Tam tenuis mortale genus (quis crederet?) orbis
    Vexat amor, curisque innumeris acuit,
Ut quo vix tandem exigua potiatur arena
    (Infandum!) bella indicere non pudeat,
Et petere excidiis urbes, et sanguine rivos
    Undantes siccis cernere luminibus!

ELEGIA IV.

CHRISTUS INFANS

VITAE AB HOMINIBUS SANCTE INSTITUENDAE MAGISTER.

Quam sacro toties afflati numine vates
    Polliciti humanis adfore rebus opem;
Scilicet ut terras quae late involverat omnes
    Nox olim e tenebris excita taenariis,
Et totam ob primi scelus exitiale Parentis
    Horrifico obduxit tegmine progeniem,
Luce nova e domibus lapsa stellantis Olympi
    In stygias fugeret, venerat unde, domos;
Hanc tandem laetemur opem mortalibus aegris
    Allatam, et veterum jam rata verba patrum.
Omnia jam lucent, jam non errore viarum
    Decepti, recto e tramite digredimur,
Mendacesque duces, et inania jussa sequuti
    Ire per ambages cogimur usque novas.
Ite procul, caelo quos Graecia vana magistros
    Morum et doctrinae sustulit omnigenae;
Desinite ambiguas in vulgum spargere voces,
    Et vacuis commenta ingerere auriculis.
Aurea promissi venit jam temporis aetas,
    Et novus e superûm sede Magister adest.
Non ille humanas excultus nempe per artes,
    Quamlibet eximio fretus et ingenio,
Ignarosque docere homines, et tollere lumen
    Tam clarum e tantis aggreditur tenebris;
Ipsa sed aetherii Regis sapientia, summi
    In terras soboles labitur ipsa Dei;
Atque hominum lux tanta oculos ne laederet aegros,
    Quum sancto ignaros fingeret eloquio,

Humano non erubuit velamine dios
    Obnubi vultus aetheriumque jubar.
Iam quis me tanti penetralia ad alta Magistri
    Discipulum sistat morigerum et docilem,
Ut mirum divino quod dimanat ab ore
    Eloquium bibulis auribus excipiam,
Atque alto penitus condam sub pectore? ceu quum
    Exustos Procyon, aut Leo findit agros,
Nubila si puro cogens notus aëre, terram
    Irrorat placidis imbribus aridulam,
Illa bibit tenuem rorem, sitibundaque hiantes
    Per venas imum sorbet ad usque sinum,
Atque iterum sorbet, flores dum succus in aegros,
    Languentesque herbas pinguior inde venit;
Sic mihi contingat; nulla ut praecepta docentis
    Nullaque vox animo defluat immemori.
Quo tamen abripior? visu num ludor inani?
    An rerum species vera mihi objicitur?
Vera quidem, sed mira: tener nam cernitur Infans
    Heic tantum, et saturo caula parata gregi.
Illa Parens, Puerum teneris quae versat in ulnis,
    Et flentem niveis admovet uberibus,
Illa quidem magnorum etsi decora alta parentum
    Et gestu et vultu praeferat ingenuo,
Ast humili in tunica pudibunda atque omnium egena
    Rerum, oculos carum dejicit in Puerum;
Et queritur brumali algens quod frigore corpus
    Cogitur in rudibus volvere fasciolis,
Duraque carpendo sordens cunabula somno
    Agresti stabulum praebeat e stipula.
Quid Puer? aut silet, aut vagit, caraeque Parentis
    Levia protendens brachia quaerit opem.
Hoc tamen in Puero (ne quis vagitibus aptum
    Nescius, aut solis fletibus esse putet)
Hoc tamen in Puero, Pueroque silente Magistrum
    Ante omnes fas est noscere grandiloquum:
Vagitus etenim, et vagitibus intermixtae
    Lacrimulae, capta et membra tenella gelu,
Fasciolaeque rudes, paleaeque loquuntur, ut omnis
    Divino caula haec personet eloquio.

Conditor hic namque, et rerum arbiter omnigenarum,
    Assurgit rutilans cui super astra domus,
Largifluos olim qui de caelestibus imbres
    Thesauris, gelidas elicuitque nives,
Qui madidas ventorum humeris innexuit alas,
    Nubesque aut agere aut solvere posse dedit,
Dum sibi mortalis venienti lucis in oras,
    Posthabitis regum sedibus atque opibus,
Lustra legit rigidae nusquam non pervia brumae,
    In duro acclinans stramine molle latus,
Deciduaque alget nive, nocturnisque madescit
    Imbribus, aut saevo flante aquilone riget,
Iam nunc exemplo verbis potiore Sophorum,
    Quorum urbes implet fama Pelasgiades,
Iam nunc caelestis doctrinae oracula promit,
    Quae cupienda homines, quae fugienda docens;
Felicemque vocat titulos qui spernit avitos,
    Et patrias forti pectore divitias,
Et quaecumque hominum generi malesuada voluptas
    Illita Circaeo pocula melle parat;
Felicem, qui vitae ultro genus aerumnosum
    Instituit, largo et deterit imbre genas.
Tempus erit quum Judaeae haec praecepta per urbes
    Divini promens pectoris ex adyto,
Adstantes longe populos, lateque docebit,
    Firmabit signis et nova verba novis.
Qui tanto tamen exemplo inconcussus, honores
    Anxius aut fluxas quaerit avarus opes,
Otia qui sequitur curarum nescia, blandae
    Nec potis est vitae avellier illecebris,
Ostentisque novis, diaeque impervia vocis
    Huic ego fulminibus pectora inesse putem.

CAROLI ROTII.


AD NYMPHAS PALAESTINAE UT MARIAM ABEUNTEM IN MONTANA OFFICII CAUSA COMITENTUR.

ELEGIA

Nymphae Thaborides Nymphae; quae rura beata
Udaque nativis antra tenetis aquis:
Ite viae comites Mariae, quae Numine foeta
Visere Zachariae tecta, laresque parat.
Ite; sed ante meis aures advertite dictis,
Istaque sub memori condite jussa sinu.
Formosos quacumque pedes Divina Puella
Intulerit, facilis sit, pateatque via.
Transversi frutices absint, ramique caduci
Absit et hirsutis sentibus herba nocens.
Nec minus amotis purgetur scrupea saxis
Semita, inoffensum ducat ut illa pedem:
Tum laetum vestite solum florentibus herbis
Pallenti viola, purpureaque rosa.
Felices nimium, fortunatique colores
Quos premet imposito casta Puella pede.
Jamque aliqua e vobis comites praevertat et omnem
Spargat odorato praevia rore viam
Expressoque rosis succo contingat arenam,
Ut gravis asperso pulvis ab imbre cadat.
Nec vos poeniteat flabello arcessere ventos,
Illius et verno nectere flore caput.
Et modo praetensa solem defendere lauro,
Et modo marmoreae tergere frontis aquam.

Ast, ubi sol medios coeli succederit aestus,
Aridaque impatiens terra caloris erit,
Incoeptum rumpatur iter, fessamque Puellam
Quercus frondoso protegat hospitio.
Hic brevis herboso constructa e cespite mensa
Ponatur, celeri deproperata manu,
Quam super et flores halent, nomenque Puellae
Pingat odoratis litera facta rosis.
Dein alacres omnes, incinctae vestibus omnes
Adsint, et placida mente quod instat, agant
Illa ferat tonsis mantilia candida villis:
Haec manibus puro e fonte ministret aquam.
Pars cererem expediat calathis, pars fagina ponat
Pocula, pars epulas officiosa gerat:
Lactea Sicanio respersa coagula rore,
Flavaque sub puro condita mella favo.
Et dulces cerasos, et humi nascentia fraga,
Et matutinâ mora legenda manu.
Sed bonus in primis commendet fercula vultus,
Vultus sincerae pignora mentis habens.
Postquam epulis fuerit perfuncta, quiescat in umbra,
Dum fiat serae mollior hora viae.
Singula quid moneam? Nymphae consurgite: celsos
En migrat in montes Parthenis; ite simul.
Finieram laetae surgunt, memoresque Puellam
Certant officiis demeruisse suis.
Illa ubi dilectos iniit peregrina penates,
Et Matrem laetis jussit avere sonis;
Infans materna gestit lustratus in alvo,
Oraque venturi conscia solvit Anus:
Grandaevusque Pater luctatur gaudia voce
Promere, sed vocem lingua moratur iners:
Ipsa domus, credo, fremitu plausura secundo,
Prodigiis si non obstupuisset, erat.

Finis primi voluminis.



INDEX.

Pisauri die 4 januarii 1833.
VIDIT
Pro Illmo et Rmo Episcopo
PHILIPPO MONACELLI
ANTONIUS CAN. COLI
Prof. Dog. Th. in Ven Sem. Pis.
ac Exam. pro-synodalis

Pisauri die 7 dict. 1833.
IMPRIMATUR
Fr. PETRUS CAJETANUS FELETTI
Ord. Præd. S. Th. Prof. Inquis. Gen. S. O.





